This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Harvard College Library

...GHT WITH INCOME
...FROM THE BEQUEST OF
...RY LILLIE PIERCE
OF BOSTON
...VOTE OF THE PRESIDENT AND FELLOWS
OCTOBER 24, 1898



..5284.9



Prague, Bohemia — Universität

LIBER DECANORUM

FACULTATIS PHILOSOPHICAE

UNIVERSITATIS PRAGENSIS,

ab anno Christi 1367. usque ad annum 1585.

E

CODICE MEMBRANACEO

ILLIUS AETATIS

NUNC PRIMUM LUCE DONATUS.

Accedit vocum minus solitarum illi aevo familiarium declaratio, et virorum notatu digniorum nomenclatura alphabetice digesta.

SIGILLUM

PARS I.

PRAGAE

Typis Joan. Nep. Gerzabek

1830.

Prague, Bohemia – Universität

MONUMENTA HISTORICA

UNIVERSITATIS

CAROLO-FERDINANDEAE

PRAGENSIS.

TOM. I.

Educ 4886.9

~~Educ 5284.194~~

Educ 5284.9

HARVARD COLLEGE
MAR 10 1910
LIBRARY

Pierce fund
(3 vols in 4)

REVERENDISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI

DOMINO DOMINO

Wenceslao Leopoldo

EQUITI CHLUMČANSKY

DE PŘESTAWLK ET CHLUMČAN,

DEI GRATIA ARCHIEPISCOPO PRAGENSI, SEDIS APOSTOLICAE PER INCLYTUM REGNUM BOHEMIAE, NEC NON PER CELEBERRIMAS BAMBERGENSEM, MISNENSEM ET RATISBONENSEM DIOECESES LEGATO NATO, INCLYTI REGNI BOHEMIAE PRIMATI, SUAE CAESAREO-REGIAE APOSTOLICAE MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO ACTUALI, CAESAREI AUSTRIACI ORDINIS LEOPOLDINI MAGNAE CRUCIS EQUITI, AUREA CRUCE HONORUM CIVICORUM INSIGNITO, PHILOSOPHIAE DOCTORI, ALMAE AC ANTIQUISSIMAE CAROLO-FERDINANDEAE UNIVERSITATIS PRAGENSIS CANCELLARIO PERPETUO ET STUDIORUM PROTECTORI etc. etc.

SENIORI SUO SUMMA PIETATE COLENDO

D. D. D.

VENERABUNDA

FACULTAS PHILOSOPHICA

UNIVERSITATIS PRAGENSIS.

Insolenti prorsus felicitate contigit, ut eodem, quo Te tempore Archiepiscopum Suum beneficientissimum, Bohemiae regnum, Primatem ac Principem Celsissimum, atque eundem Te Carolo-Ferdinandea scientiarum universitas divinitus studiorum Protectorem et Cancellarium sibi concessum et conservatum suspicientes, gestientesque gratulabantur, ordinis ab artium liberalium et philosophiae studiis compellati, jam pridem, Tui et patriae celebrandae studio susceptum coeptumque opus, communibus votis et conaminibus indies magis ac magis responderet. Quare nos, hujus collegii omnes ac singuli, quantum splendoris ex Te, sui olim subsellii, admodum adulescentulo jam sodali, nunc longissime cunctos nos, ut virtutum decoribus, dignitatis amplitudine, hono-

rum insignibus, ita et aetatis, quam vegetam et incolumem Deus Tibi quam diutissime servet, rara maturitate feliciter exsuperante, cumulatissime sibi tributum laetentur, palam contestaturi, ut, quod summa Tui observantia opus aggressi sumus, gloriosissimo Tuo nomine fronti praefixo illustratum, publici juris fiat, enixe supplices oramus.

Est quidem illud haudquaquam ejusmodi, quo recentiorum ullius aut ingenium, aut ars, aut eloquentia eniti atque probari contendat, sed quod, plus in recessu, quam in fronte habens, a prisca majorum gloria, a primis almae Carolinae academiae nostrae, imo potius Tuae, artium rectoribus, ab rerum cum domi, tum foris, binis fere continuis, et ultra, saeculis gestarum et relatarum varietate ac copia maximopere commendetur: omnium, quotquot supersunt, codicum manu exaratorum, etsi

nequaquam primus, tamen nostratium facile vetustissimus, cujus tanta saeculorum serie ex literaria domesticae antiquitatis suppellectile etiamnum superstitis quctoritas et fides maxima et singularis esse debeat, cum minime a quovis obvio et ignoto, sed a viris, et doctrinae praestantia, et mentis acumine et circumspectione, et rerum, quibus praeerant, usu, atque illustri, quem obtinebant, loco spectatissimis profectus, ad nos pervenerit, ab ipsis artium scilicet Decanis, quorum a magistro Henrico de Nannexen, aliter dicto de Embek, ecclesiae S. Petri Moguntiae canonico, vices rectoris studii universitatis gerente agmen anno salutis 1367. *actum, mag. Marco Bydžovino a Florentino, artium decano, exeunte jam sexto decimo saeculo, anno nimirum* 1585. *concluditur.*

Quae et quanta sunt, quae hujus in vulgus ignorati, aut plerumque delitescentis codicis, aut turpiter hucusque neglecti, et propterea minime in publicos usus traducti ope, cum ad uberiorem patriae cognitionem, tum ad religionis vel cultae vel perversae conditionem manifestandam, et ad acriorem artium, et rerum naturalium intelligentiam facientia hic in luce ponantur.

Is certe plurimum adjumenti adfert, quo, quae majoribus tum studiorum ac doctrinarum ratio fuerit, quae vita, qui mores, quae mens, qui Bojemae patriae terrae, imo qui omnis civilioris Europae incolis cultus, accuratius quivis perspiciat, viros numero haud exiguos in utraque olim, cum sacra, tum civili republica maxime conspicuos, eosque non nostrorum modo hominum, sed, cum ad primam in Germania, a Carolo IV. Patriae Patre, Pragae

Bohemorum scientiarum sedem constitutam, ingentem undequaque studiosorum frequentiam certatim confluxisse constet, exterorum etiam, immerita, interposito tanto saeculorum intervallo, oblivionum nocte oppressi, in memoriae vitam posteris tandem redeuntes internoscat, ac denique gravissimum illud ineluctabili omnium retro saeculorum rerum et eventuum nexu, ubivis gentium comprobatum, ex nostris etiam rebus capiat luculentissimum documentum: Adorandi supremi Numinis providentia fieri, ut, catholicae religionis veritas, quibuscunque pravarum opinionum praestigiis, immaniumque errorum monstris, tanquam crassissima nubium, tenebrarumque caligine proterve offusa laetior semper emicet, atque nebulis usquequaque dispersis, depulsa veluti nocte sol, fulgentior animis elucescat.

Prague, Bohemia – Universität

MONUMENTA HISTORICA

UNIVERSITATIS

CAROLO-FERDINANDEAE

PRAGENSIS.

TOM. I.

Hisce rationibus ducti, codicem hunc, vetustate passim confectum et obsoletum, recentibus curis ac laboribus a nobis eruderatum, in pristinum vitae vigorem restitutum et transcriptum, Tibi venerabundi sistimus, Tuis gloriosissimis auspiciis consecrandum, quo cum majorum memoria et singularis in Te pietatis, summaeque nostrae observantiae monumentum in perpetuum ad omnem posteritatem transmittatur.

Praefatio.

Universitatis Pragenae facultas philosophica ad conscribendam ordinis sui histôriam cum ipsa rei necessitate permota, tum ab inclytissimo regni gubernio provocata, ut opere hoc quam optime perfungeretur: primum omnium fontes aperire, atque literarum monumenta, quae aut sibi praesto essent, aut in bibliothecis publicis privatisve sparsim laterent, colligere, et in rem suam convertere statuit.

Verum cum et videret complura, eaque praestantis ima historiae suae documenta ob literarum insolentiam, atque hinc inde prope exstinctarum vetustatem lectu difficiliora esse, timendumque esse, ut temporis successu penitus exstinguantur et pereant, et intelligeret, eorum permulta non ad solam facultatem philosophicam, sed ad reliquas etiam, quarum illa matrix semper habita est, facultates, atque ita ad totam studiorum patriorum universitatem pertinere: rata eadem ceterarum quoque facultatum viris eruditis, quin et aliis antiquitatum et historiae cultoribus, aeque ac sibi grata esse debere et accepta; praeterea adjuta, tum aeterna memoria dignissimi senioris sui Wenceslai Leopoldi P. T. principia archiepiscopi, qui fere in articulo mortis, tertio ante obitum die, dedicationem tomi hujus benevolentissime suscepit, tum honorandi praesidis sui atque c. r.

directoris studiorum philosophicorum Josephi Antonii Koehler insigni munificentia, nonnullorumque membrorum suorum et aliorum benevolorum fautorum pecuniis in medium collatis, et viris ex ordine suo ad id specialiter delectis, documenta illa prelo mandare, et nomine *Monumentorum Historicorum Universitatis Carolo-Ferdinandeae Pragensis* juris publici facere decrevit.

Orditur vero a *Codice Decanorum Facultatis Philosophicae*, tanquam angulari historiae suae lapide ac fundamento, cujus anterior pars epocham ante bellum Hussiticum, posterior reliquum tempus ad 1585. complectitur. Est hic quidem liber membranaceus partim, ut pag. ejus 132. innuitur, et e scriptione, atque erroribus quibusdam, docto decanorum calamo vix imputandis, colligi potest, ex antiquiore codice saeculo XV. descriptus, partim ab ipsis decanis, vel eorum certe jussu, consignatus, 223 folia continens, hodie in c. r. bibliotheca universitatis Pragenae adservatus.

Continet autem plurima nomina virorum illo tempore domi forisque clarorum, omnem quodammodo ab anno 1367. ad usque 1585., igitur per 218 annos vigentem in Bohemia doctam rempublicam, nomina decanorum, magistrorum actu regentium, aliorumque, non minus quam baccalariorum et licentiatorum, per annos, quibus promovebantur, dispositorum, ita, ut in omni tunc Bohemia, immo ante annum 1409., quo studentes extranei una cum magistris suis Pragam deseruere, magna Europae orientalis septemtrionalisve parte, vix unum sit nomen literatorum clarius, quod in ejus paginis consignatum non reperiatur. Continet praeterea codex noster facultatis phil. statuta antiquissima, e quibus membrorum singulorum nexus et officia, discendi eo tempore, ac docendi ratio, omnisque rei literariae status clare cognoscitur; continet rerum gestarum eventuumque vario-

rum memoriam, hinc ab anno 1453. decanorum manu vel auctoritate consignatam, et si minus novitàte, at certitudine et claritate insignem.

Rerum ordo in codice manuscripto hic est: Praemisso calendario ad indicandos dies, quibus negotiis literariis vel perfungendum vel abstinendum esset, sequuntur tres formulae testimoniales, quas statuta quaedam excipiunt. His subjuncta est series decanorum facultatis artium ab anno 1367. usque ad annum 1619. Jam praecedente summario rubricis punctisque distincto exhibentur statuta facultatis, a decano Mathia de Legnicz (1393. 9. Octobris electus p. 265.) correcta, ordine digesta et conscripta, quorum in fine epitome eorundem anno 1528. collecta existit. Incipit denique registrum ordinis graduatorum in artibus, quod ad annum usque 1585. religiose continuatum esse gaudemus.

Restat ut de editione nostra pauca moneamus. Cum codicis nostri scriptura compendiorum plenissima, orthographia admodum diversa et inconstans, passim etiam erroribus depravata inveniatur: visum est, ne legendi difficultas sine fructu augeatur, cuncta ad hodiernam scribendi rationem revocare, exceptis nominibus propriis, atque ut reperta sunt, ita quoque redditis; personarum tamen praenominibus, ut sunt: Johannes, Cunradus, Michahel, Berhtoldus &c. in usitatiora Joannis, Conradi, Michaelis, Bertholdi &c. conversis. Ceterum in vocibus saepe recurrentibus sequentibus scribendi compendiis uti placuit:

d. lege dedit.
dd. — dederunt.
det. — determinavit.
dett. — determinaverunt.
mag. — magister in omnibus sing. num. casibus.
mgri. — magistri.

p. lege petivit. scil. dilationem solvendi.
pp. — petiverunt.
pr. — promisit, nempe solvere.
t. — tenetur.
tt. — tenentur.

Maximam in legendis praesertim nominibus propriis difficultatem involvunt literae *c* et *t*, *b* et *v*, *s* et *f*, *u* et *n*, *m* et *in*, *un* et *mi* vel *im*, quae ob ductus plane eosdem raro discerni possunt; quare difficillima lectu vocabula cum aliquot scripturae aevi diversi speciminibus in tabula (Fac simile vulgo) adumbrata alteri mox sequuturae parti codicis adnectentur. Subjungetur etiam index alphabeticus magistrorum facultatis artium omnium in codice occurrentium, et vocum illi aevo familiarium, adjectis earundem declarationibus.

Hunc igitur thesaurum antiquum ab interitu tutum reddere, eumque adeundi opportunitatem omnibus historiae literariae studiosis praestare cupiens facultas philosophica, prae ceteris documentis in lucem cum edit, spe tenetur, faustis hisce auspiciis opus susceptum, amica aliorum documentorum communicatione, temporis successu in magnum veritatis historicae incrementum esse evasurum.

*) KL. JANUARIUS habet 31 dies.

1	*A*	Ci	*Circumcisio Domini. Non disputatur.*
2	b	si	*Allatio reliquiarum. Non disputatur.*
3	c	o	
4	d	ja	
5	e	nus	*Nonas. Hic non disputatur.*
6	f	e	*Epiphania Domini. Non disputatur.*
7	g	pi	
8	*A*	si	
9	b	bi	
10	c	ven	
11	d	di	
12	e	cat	
13	f	oc	*Idus.*
14	g	fe	
15	*A*	li	
16	b	mar	
17	c	an	
18	d	Pris.	
19	e	ca	
20	f	fab	
21	g	ag	
22	*A*	vin	
23	b	cen	
24	c	ti	
25	d	pau	*Conversio Pauli. Non disputatur.*
26	e	po	
27	f	no	
28	g	bi	
29	*A*	le	
30	b	lu	
31	c	men.	

*) Calendarium hoc magis exercitiis scholasticis statuendis, quam diebus festis indicandis inserviisse, vel ex eo patet, quod tempus inter paschatis et pentecostes aliaque festa mobilia nimis angustum est.

KL. FEBRUARIUS habet 28 dies.

1	d	Bri	*Hic non disputatur.*
2	e	pur	*Purificatio Mariae. Non disputatur.*
3	f	bla	
4	g	sus	
5	*A*	ag	*Nonas.*
6	b	dor	*Dorotheae. Non disputatur.*
7	c	fe	Hic mutantur exercitia in 15m horam.
8	d	bru	
9	e	o	
10	f	sco	
11	g	las	
12	*A*	ti	
13	b	ca	*Idus.*
14	c	va	
15	d	lent	
16	e	Ju	
17	f	li	
18	g	con	
19	*A*	jun	
20	b	ge	
21	c	tunc	
22	d	pe	*Cathedra s. Petri. Non disputatur.*
23	e	trum	
24	f	ma	*Mathiae apostoli. Non disputatur.*
25	g	thi	
26	*A*	am	
27	b	in	
28	c	de	

KL. MARTIUS habet dies 31.

1	d	Mar	
2	e	ci	
3	f	us	
4	g	a	*Translatio s. Wencesl. Non disputatur.*
5	*A*	dri	
6	b	a	
7	c	per	*Nonas. Thomae. Non disputatur.*
8	d	de	
9	e	co	*Cyrilli et Meth. Non disputatur.*
10	f	ra	
11	g	tur	
12	*A*	gre	*Gregorii papae. Non disputatur.*
13	b	go	Hic mutantur exercitia de 15a in 14m.
14	c	ri	
15	d	o	*Idus.*
16	e	cir	
17	f	Ger.	
18	g	trud	
19	*A*	al	
20	b	ba	
21	c	be	
22	d	ne	
23	e	junc.	
24	f	ta	*Hic non disputatur.*
25	g	ma	*Annunciatio Mariae. Non disput.*
26	*A*	ri	
27	b	a	
28	c	ge	Mutantur exercitia de —
29	d	ni	
30	e	tri	
31	f	ce	

KL. APRILIS habet dies 30.

1	g	*A*		
2	*A*	pril		
3	b	in		
4	c	am	*Ambrosii. Non disputatur.*	
5	d	bro	*Nonas.*	
6	e	si		
7	f	i		
8	g	fe	*In vigilia Palmarum. Non disputatu*	
9	*A*	stis		
10	b	o		
11	c	vat		
12	d	at		*A quarta feria ante*
13	e	que	*Idus.*	*festum paschae ad*
14	f	ti		*quartam feriam post*
15	g	bur		*praedictum festum in-*
16	*A*	ci		*clusive non disputatur.*
17	b	Et	Mutantur exercitia.	
18	c	va		
19	d	ler		
20	e	sanc		
21	f	ti		
22	g	que		
23	*A*	ge	*Georgii mar. Non disputatur.*	
24	b	or	Electio lectionum.	
25	c	mar	*Marci evangel. Non disputatur.*	
26	d	ci		
27	e	que		
28	f	vi		
29	g	ta		
30	*A*	lis		

KL. MAJUS habet 31 dies.

(Prandia hora 12a fiant — Exercitia vero 10a et 11a.)

1	b	Phil	*Philippi et Jacobi. Non disputatur.*
2	c	sig	*Sigismundi. Non disputatur.*
3	d	crux	*Inventio crucis. Non disputatur.*
4	e	flor	
5	f	got	
6	g	jo	
7	*A*	an	*Nonas.*
8	b	sta	*In diebus rogationum non*
9	c	nis	*disputatur ante prandium.*
10	d	e	*Hic non disputatur.*
11	e	pi	*Ascensio Domini. Non disputatur.*
12	f	ne	
13	g	ser	
14	*A*	et	
15	b	soph	*Idus.*
16	c	Ma	
17	d	jus	
18	e	in	
19	f	hac	
20	g	se	*A vigilia pentecostes usque*
21	*A*	ri	*ad quartam feriam in-*
22	b	e	*clusive non disputatur.*
23	c	te	
24	d	net	
25	e	ur	
26	f	ban	
27	g	in	*Hic non disputatur.*
28	*A*	pe	*Trinitatis. Non disputatur.*
29	b	de	
30	c	cris	
31	d	an	

KL. JUNIUS habet 30 dies.

1	e	Nic	
2	f	mar	
3	g	cel	
4	*A*	le	
5	b	bo	*Nonas.*
6	c	ni	
7	d	dat	*Vigilia corpor. Christi. Non disputat*
8	e	jun	*Corporis. Christi. Non disputatur.*
9	f	pri	
10	g	mi	
11	*A*	bar	*Barnabae apostoli. Non disputatur.*
12	b	cy	
13	c	ri	*Idus.*
14	d	ni	*Hic non disputatur.*
15	e	Vi	*Viti et Modesti. Non disputatur.*
16	f	ti	
17	g	que	
18	*A*	mar	
19	b	pro	
20	c	thas	
21	d	al	
22	e	sanc	
23	f	ti	*Hic non disputatur.*
24	g	jo	*Nativitas s. Joannis. Non disputat*
25	*A*	an	
26	b	jo	
27	c	do	
28	d	le	*Hic non disputatur.*
29	e	pe	*Petri et Pauli. Non disputatur.*
30	f	pau	

KL. JULIUS habet 31 Dies.

	1	g	Jul	
	2	*A*	pro	
	3	b	ces	*Hic non disputatur.*
	4	c	pro	*Procopii. Non disputatur.*
	5	d	cop	Joannis Hus. Non disputatur ex
	6	e	oc	novo statuto.
	7	f	wil	*Nonas.*
	8	g	ki	
	9	*A*	li	
	10	b	fra	
	11	c	be	
Hic suspenduntur lectiones	12	d	ne	
	13	e	mar	*Margaritae. Non disput.*
	14	f	gar	
	15	g	a	*Idus. Divisio apostolorum. Non disput.*
	16	*A*	post	
	17	b	al	
	18	c	Ar	
	19	d	nol	
	20	e	fus	
	21	f	prax	*Hic non disputatur.*
	22	g	mag	*Mariae Magd. Non disputatur.*
	23	*A*	ap	
	24	b	cris	*Hic non disputatur.*
	25	c	ja	*Jacobi apostoli. Non disput.*
	26	d	an	
	27	e	na	
	28	f	que	
	29	g	sin	
	30	*A*	ab	
	31	b	don	

KL. AUGUSTUS habet 31 dies.

1	c	Pe	*Ad vincula Petri. Non disputatur.*
2	d	steph	
3	e	steph	Hic mutantur exercitia (prandia) de
4	f	proth	13ª in 14m.
5	g	os	*Nonas.*
6	*A*	six	Transfiguratio Christi. Non disputatur.
7	b	do	
8	c	cy	
9	d	ro	*Hic non disputatur.*
10	e	lau	*Laurentii. Non disputatur.*
11	f	ti	
12	g	bur	
13	*A*	hip	*Idus.*
14	b	eù	*Hic non disputatur.*
15	c	Sump	*Assumptio Mariae. Non disput.*
16	d	ti	
17	e	o	
18	f	a	
19	g	ga	
20	*A*	pi	
21	b	ti	
22	c	ti	
23	d	mo	*Hic non disputatur.*
24	e	bar	*Bartholomaei. Non disputatur.*
25	f	tho	
26	g	lo	
27	*A*	ruf	
28	b	au	*Augustini episcopi. Non disputatur.*
29	c	col	*Decollatio Joann. Non disputatur.*
30	d	auc	
31	e	ti	

KL. SEPTEMBER habet 30 dies.

1	f	Ae	*Aegidii. Non disputatur.*
2	g	gi	
3	*A*	di	
4	b	um	
5	c	sep	*Nonas.*
6	d	ha	
7	e	bet	*Hic non disputatur.*
8	f	nat	*Nativitas Mariae. Non disputat.*
9	g	gor	Hic mutantur exercitia (prandia) de
10	*A*	gon	14a in 15m.
11	b	pro	
12	c	la	
13	d	ci	*Idus.*
14	e	crux	*Exaltatio s. Crucis. Non disputat.*
15	f	nix	
16	g	Lu	*Ludmillae. Non disputatur.*
17	*A*	lam	
18	b	per	
19	c	te	
20	d	que	*Hic non disputatur.*
21	e	mat	*Matthaei apost. et evangel. Non disp.*
22	f	mau	
23	g	ri	
24	*A*	ci	
25	b	us	
26	c	et	
27	d	da	*Hic non disputatur.*
28	e	wen	*Wenceslai. Non disputatur.*
29	f	mich	*Michaelis. Non disputatur.*
30	g	jer	*Hieronymi. Non disputatur.*

KL. OCTOBER habet 31 dies.

1	*A*	Re	*Dedicatio Pragensis. Non disputat.*
2	b	mi	
3	c	que	
4	d	fran	
5	e	cis	
6	f	cus	
7	g	mar	*Nonas.*
8	*A*	cus	
9	b	di	*Dionysii mart. et sociorum ejus. Non disp.* Electio decani.
10	c	ger	Electio directorum.
11	d	ar	
12	e	te	
13	f	que	
14	g	ca	
15	*A*	lix	*Idus.*
16	b	Gal	*Galli. Non disputatur.*
17	c	le	Electio lectionum a prandio. Mane electio rectoris.
18	d	lu	*Lucae evangelistae. Non disputatur.*
19	e	cas	
20	f	fel	
21	g	un	*Undecim mill. virgin. Non disputat.*
22	*A*	se	
23	b	se	
24	c	ve	
25	d	cris	
26	e	pi	
27	f	ni	*Hic non disputatur.*
28	g	si	*Simonis et Judae. Non disputatur.*
29	*A*	mo	Hic mutantur exercitia de 15a in 16m.
30	b	nis	
31	c	quin	*Hic non disputatur.*

KL. NOVEMBER habet 30 dies.

1	d	Om	*Omnium sanctorum. Non disput.*
2	e	ne	Hic non legitur, nec disputatur ante prandium ex novo statuto.
3	f	no	
4	g	vem	
5	*A*	bre	*Nonas.*
6	b	le	
7	c	on	
8	d	qua	
9	e	the	
10	f	lud	*Ludmillae. Non disputatur.*
11	g	mar	*Martini. Non disputatur.*
12	*A*	fra	*Quinque fratrum. Non disputatur.*
13	b	bric	*Idus.*
14	c	ci	
15	d	i	
16	e	que	
17	f	Post	
18	g	haec	
19	*A*	e	*Elisabeth. Non disputatur.*
20	b	li	
21	c	sa	
22	d	ce	
23	e	cle	*Clementis papae. Non disputatur.*
24	f	cris	
25	g	ca	*Catharinae. Non disputatur.*
26	*A*	the	Hic mutantur exercitia de 16a hora
27	b	ri	in 17m, et prandia aguntur hora 18a.
28	c	na	
29	d	sat	*Hic non disputatur.*
30	e	an	*Andreae apostoli. Non disputatur.*

KL. DECEMBER habet 31 dies.

1	f	De	
2	g	cem	
3	*A*	ber	
4	b	bar	
5	c	ba	*Nonas. Hic non disputatur.*
6	d	ni	*Nicolai. Non disputatur.*
7	e	co	
8	f	con	*Conceptio Mariae. Non disputatur.*
9	g	cep	
10	*A*	et	
11	b	al	
12	c	ma	
13	d	lu	*Idus.*
14	e	ci	
15	f	a	
16	g	Sanc	
17	*A*	tus	
18	b	ab	
19	c	in	
20	d	de	*Hic non disputatur.*
21	e	tho	*Thomae apostoli. Non disputatur*
22	f	mas	
23	g	mo	
24	*A*	do	*Hic non disputatur.*
25	b	nat	*Nativitas Domini. Non disputatu*
26	c	steph	*Stephani. Non disputatur.*
27	d	jo	*Joannis evangelist. Non disputat.*
28	e	pu	*Innocentium. Non disputatur.*
29	f	tho	Hic mutantur exercitia de 17^{a} in 16^{n}
30	g	mae	et prandium fit hora 17.
31	*A*	sil	*Silvestri papae. Non disputatur.*

Prague, Bohemia — Universität

LIBER DECANORUM

FACULTATIS PHILOSOPHICAE

UNIVERSITATIS PRAGENSIS,

ab anno Christi 1367. usque ad annum 1585.

E

CODICE MEMBRANACEO

ILLIUS AETATIS

NUNC PRIMUM LUCE DONATUS.

Accedit vocum minus solitarum illi aevo familiarium declaratio, et virorum notatu digniorum nomenclatura alphabetice digesta.

PARS I.

PRAGAE

Typis Joan. Nep. Gerzabek

1830.

Prague, Bohemia – Universität

MONUMENTA HISTORICA

UNIVERSITATIS

CAROLO-FERDINANDEAE

PRAGENSIS.

TOM. I.

Educ 4866.9
Educ 5284.109 9

HARVARD COLLEGE
MAR 10 1910
LIBRARY

Pierce fund
(3 vols in 4)

REVERENDISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI

DOMINO DOMINO

Wenceslao Leopoldo

EQUITI CHLUMČANSKY

DE PŘESTAWLK ET CHLUMČAN,

DEI GRATIA ARCHIEPISCOPO PRAGENSI, SEDIS APOSTOLICAE PER INCLYTUM REGNUM BOHEMIAE, NEC NON PER CELEBERRIMAS BAMBERGENSEM, MISNENSEM ET RATISBONENSEM DIOECESES LEGATO NATO, INCLYTI REGNI BOHEMIAE PRIMATI, SUAE CAESAREO-REGIAE APOSTOLICAE MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO ACTUALI, CAESAREI AUSTRIACI ORDINIS LEOPOLDINI MAGNAE CRUCIS EQUITI, AUREA CRUCE HONORUM CIVICORUM INSIGNITO, PHILOSOPHIAE DOCTORI, ALMAE AC ANTIQUISSIMAE CAROLO-FERDINANDEAE UNIVERSITATIS PRAGENSIS CANCELLARIO PERPETUO ET STUDIORUM PROTECTORI etc. etc.

SENIORI SUO SUMMA PIETATE COLENDO

D. D. D.

VENERABUNDA
FACULTAS PHILOSOPHICA
UNIVERSITATIS PRAGENSIS.

Insolenti prorsus felicitate contigit, ut eodem, quo Te tempore Archiepiscopum Suum beneficientissimum, Bohemiae regnum, Primatem ac Principem Celsissimum, atque eundem Te Carolo-Ferdinandea scientiarum universitas divinitus studiorum Protectorem et Cancellarium sibi concessum et conservatum suspicientes, gestientesque gratulabantur, ordinis ab artium liberalium et philosophiae studiis compellati, jam pridem, Tui et patriae celebrandae studio susceptum coeptumque opus, communibus votis et conaminibus indies magis ac magis responderet. Quare nos, hujus collegii omnes ac singuli, quantum splendoris ex Te, sui olim subsellii, admodum adulescentulo jam sodali, nunc longissime cunctos nos, ut virtutum decoribus, dignitatis amplitudine, hono-

rum insignibus, ita et aetatis, quam vegetam et incolumem Deus Tibi quam diutissime servet, rara maturitate feliciter exsuperante, cumulatissime sibi tributum laetentur, palam contestaturi, ut, quod summa Tui observantia opus aggressi sumus, gloriosissimo Tuo nomine fronti praefixo illustratum, publici juris fiat, enixe supplices oramus.

Est quidem illud haudquaquam ejusmodi, quo recentiorum ullius aut ingenium, aut ars, aut eloquentia eniti atque probari contendat, sed quod, plus in recessu, quam in fronte habens, a prisca majorum gloria, a primis almae Carolinae academiae nostrae, imo potius Tuae, artium rectoribus, ab rerum cum domi, tum foris, binis fere continuis, et ultra, saeculis gestarum et relatarum varietate ac copia maximopere commendetur: omnium, quotquot supersunt, codicum manu exaratorum, etsi

nequaquam primus, tamen nostratium facile vetustissimus, cujus tanta saeculorum serie ex literaria domesticae antiquitatis suppellectile etiamnum superstitis aucturitas et fides maxima et singularis esse debeat, cum minime a quovis obvio et ignoto, sed a viris, et doctrinae praestantia, et mentis acumine et circumspectione, et rerum, quibus praeerant, usu, atque illustri, quem obtinebant, loco spectatissimis profectus, ad nos pervenerit, ab ipsis artium scilicet Decanis, quorum a magistro Henrico de Nannexen, aliter dicto de Embek, ecclesiae S. Petri Moguntiae canonico, vices rectoris studii universitatis gerente agmen anno salutis 1367. *actum, mag. Marco Bydžovino a Florentino, artium decano, exeunte jam sexto decimo saeculo, anno nimirum* 1585. *concluditur.*

Quae et quanta sunt, quae hujus in vulgus ignorati, aut plerumque delitescentis codicis, aut turpiter hucusque neglecti, et propterea minime in publicos usus traducti ope, cum ad uberiorem patriae cognitionem, tum ad religionis vel cultae vel perversae conditionem manifestandam, et ad acriorem artium, et rerum naturalium intelligentiam facientia hic in luce ponantur.

Is certe plurimum adjumenti adfert, quo, quae majoribus tum studiorum ac doctrinarum ratio fuerit, quae vita, qui mores, quae mens, qui Bojemae patriae terrae, imo qui omnis civilioris Europae incolis cultus, accuratius quivis perspiciat, viros numero haud exiguos in utraque olim, cum sacra, tum civili republica maxime conspicuos, eosque non nostrorum modo hominum, sed, cum ad primam in Germania, a Carolo IV. Patriae Patre, Pragae

Bohemorum scientiarum sedem constitutam, ingentem undequaque studiosorum frequentiam certatim confluxisse constet, exterorum etiam, immerita, interposito tanto saeculorum intervallo, oblivionum nocte oppressi, in memoriae vitam posteris tandem redeuntes internoscat, ac denique gravissimum illud ineluctabili omnium retro saeculorum rerum et eventuum nexu, ubivis gentium comprobatum, ex nostris etiam rebus capiat luculentissimum documentum: Adorandi supremi Numinis providentia fieri, ut, catholicae religionis veritas, quibuscunque pravarum opinionum praestigiis, immaniumque errorum monstris, tanquam crassissima nubium, tenebrarumque caligine proterve offusa laetior semper emicet, atque nebulis usquequaque dispersis, depulsa veluti nocte sol, fulgentior animis elucescat.

Hisce rationibus ducti, codicem hunc, vetustate passim confectum et obsoletum, recentibus curis ac laboribus a nobis eruderatum, in pristinum vitae vigorem restitutum et transcriptum, Tibi venerabundi sistimus, Tuis gloriosissimis auspiciis consecrandum, quo cum majorum memoria et singularis in Te pietatis, summaeque nostrae observantiae monumentum in perpetuum ad omnem posteritatem transmittatur.

Praefatio.

Universitatis Pragenae facultas philosophica ad conscribendam ordinis sui históriam cum ipsa rei necessitate permota, tum ab inclytissimo regni gubernio provocata, ut opere hoc quam optime perfungeretur: primum omnium fontes aperire, atque literarum monumenta, quae aut sibi praesto essent, aut in bibliothecis publicis privatisve sparsim laterent, colligere, et in rem suam convertere statuit.

Verum cum et videret complura, eaque praestantis ima historiae suae documenta ob literarum insolentiam, atque hinc inde prope exstinctarum vetustatem lectu difficiliora esse, timendumque esse, ut temporis successu penitus exstinguantur et pereant, et intelligeret, eorum permulta non ad solam facultatem philosophicam, sed ad reliquas etiam, quarum illa matrix semper habita est, facultates, atque ita ad totam studiorum patriorum universitatem pertinere: rata eadem ceterarum quoque facultatum viris eruditis, quin et aliis antiquitatum et historiae cultoribus, aeque ac sibi grata esse debere et accepta; praeterea adjuta, tum aeterna memoria dignissimi senioris sui Wenceslai Leopoldi P. T. principis archiepiscopi, qui fere in articulo mortis, tertio ante obitum die, dedicationem tomi hujus benevolentissime suscepit, tum honorandi praesidis sui atque c. r.

directoris studiorum philosophicorum Josephi Antonii Koehler insigni munificentia, nonnullorumque membrorum suorum et aliorum benevolorum fautorum pecuniis in medium collatis, et viris ex ordine suo ad id specialiter delectis, documenta illa prelo mandare, et nomine *Monumentorum Historicorum Universitatis Carolo-Ferdinandeae Pragensis* juris publici facere decrevit.

Orditur vero a *Codice Decanorum Facultatis Philosophicae,* tanquam angulari historiae suae lapide ac fundamento, cujus anterior pars epocham ante bellum Hussiticum, posterior reliquum tempus ad 1585. complectitur. Est hic quidem liber membranaceus partim, ut pag. ejus 132. innuitur, et e scriptione, atque erroribus quibusdam, docto decanorum calamo vix imputandis, colligi potest, ex antiquiore codice saeculo XV. descriptus, partim ab ipsis decanis, vel eorum certe jussu, consignatus, 223 folia continens, hodie in c. r. bibliotheca universitatis Pragenae adservatus.

Continet autem plurima nomina virorum illo tempore domi forisque clarorum, omnem quodammodo ab anno 1367. ad usque 1585., igitur per 218 annos vigentem in Bohemia doctam rempublicam, nomina decanorum, magistrorum actu regentium, aliorumque, non minus quam baccalariorum et licentiatorum, per annos, quibus promovebantur, dispositorum, ita, ut in omni tunc Bohemia, immo ante annum 1409., quo studentes extranei una cum magistris suis Pragam deseruere, magna Europae orientalis septemtrionalisve parte, vix unum sit nomen literatorum clarius, quod in ejus paginis consignatum non reperiatur. Continet praeterea codex noster facultatis phil. statuta antiquissima, e quibus membrorum singulorum nexus et officia, discendi eo tempore, ac docendi ratio, omnisque rei literariae status clare cognoscitur; continet rerum gestarum eventuumque vario-

rum memoriam, hinc ab anno 1453. decanorum manu vel auctoritate consignatam, et si minus novitàte, at certitudine et claritate insignem.

Rerum ordo in codice manuscripto hic est: Praemisso calendario ad indicandos dies, quibus negotiis literariis vel perfungendum vel abstinendum esset, sequuntur tres formulae testimoniales, quas statuta quaedam excipiunt. His subjuncta est series decanorum facultatis artium ab anno 1367. usque ad annum 1619. Jam praecedente summario rubricis punctisque distincto exhibentur statuta facultatis, a decano Mathia de Legnicz (1393. 9. Octobris electus p. 265.) correcta, ordine digesta et conscripta, quorum in fine epitome eorundem anno 1528. collecta existit. Incipit denique registrum ordinis graduatorum in artibus, quod ad annum usque 1585. religiose continuatum esse gaudemus.

Restat ut de editione nostra pauca moneamus. Cum codicis nostri scriptura compendiorum plenissima, orthographia admodum diversa et inconstans, passim etiam erroribus depravata inveniatur: visum est, ne legendi difficultas sine fructu augeatur, cuncta ad hodiernam scribendi rationem revocare, exceptis nominibus propriis, atque ut reperta sunt, ita quoque redditis; personarum tamen praenominibus, ut sunt: Johannes, Cunradus, Michahel, Berhtoldus &c. in usitatiora Joannis, Conradi, Michaelis, Bertholdi &c. conversis. Ceterum in vocibus saepe recurrentibus sequentibus scribendi compendiis uti placuit:

d. lege dedit.
dd. — dederunt.
det. — determinavit.
dett. — determinaverunt.
mag. — magister in omnibus sing. num. casibus.
mgri. — magistri.

p. lege petivit. scil. dilationem solvendi.
pp. — petiverunt.
pr. — promisit, nempe solvere.
t. — tenetur.
tt. — tenentur.

Maximam in legendis praesertim nominibus propriis difficultatem involvunt literae *c* et *t*, *b* et *v*, *s* et *f*, *u* et *n*, *m* et *in*, *un* et *mi* vel *im*, quae ob ductus plane eosdem raro discerni possunt; quare difficillima lectu vocabula cum aliquot scripturae aevi diversi speciminibus in tabula (Fac simile vulgo) adumbrata alteri mox sequuturae parti codicis adnectentur. Subjungetur etiam index alphabeticus magistrorum facultatis artium omnium in codice occurrentium, et vocum illi aevo familiarium, adjectis earundem declarationibus.

Hunc igitur thesaurum antiquum ab interitu tutum reddere, eumque adeundi opportunitatem omnibus historiae literariae studiosis praestare cupiens facultas philosophica, prae ceteris documentis in lucem cum edit, spe tenetur, faustis hisce auspiciis opus susceptum, amica aliorum documentorum communicatione, temporis successu in magnum veritatis historicae incrementum esse evasurum.

*) **KL.** JANUARIUS habet 31 dies.

1	*A*	Ci	*Circumcisio Domini. Non disputatur.*
2	b	si	*Allatio reliquiarum. Non disputatur.*
3	c	o	
4	d	ja	
5	e	nus	*Nonas. Hic non disputatur.*
6	f	e	*Epiphania Domini. Non disputatur.*
7	g	pi	
8	*A*	si	
9	b	bi	
10	c	ven	
11	d	di	
12	e	cat	
13	f	oc	*Idus.*
14	g	fe	
15	*A*	li	
16	b	mar	
17	c	an	
18	d	Pris.	
19	e	ca	
20	f	fab	
21	g	ag	
22	*A*	vin	
23	b	cen	
24	c	ti	
25	d	pau	*Conversio Pauli. Non disputatur.*
26	e	po	
27	f	no	
28	g	bi	
29	*A*	le	
30	b	lu	
31	c	men.	

*) Calendarium hoc magis exercitiis scholasticis statuendis, quam diebus festis indicandis inserviisse, vel ex eo patet, quod tempus inter paschatis et pentecostes aliaque festa mobilia nimis angustum est.

KL. FEBRUARIUS habet 28 dies.

1	d	Bri	*Hic non disputatur.*
2	e	pur	*Purificatio Mariae. Non disputatur.*
3	f	bla	
4	g	sus	
5	*A*	ag	*Nonas.*
6	b	dor	*Dorotheae. Non disputatur.*
7	c	fe	Hic mutantur exercitia in 15m horam.
8	d	bru	
9	e	o	
10	f	sco	
11	g	las	
12	*A*	ti	
13	b	ca	*Idus.*
14	c	va	
15	d	lent	
16	e	Ju	
17	f	li	
18	g	con	
19	*A*	jun	
20	b	ge	
21	c	tunc	
22	d	pe	*Cathedra s. Petri. Non disputatur.*
23	e	trum	
24	f	ma	*Mathiae apostoli. Non disputatur.*
25	g	thi	
26	*A*	am	
27	b	in	
28	c	de	

KL. MARTIUS habet dies 31.

1	d	Mar	
2	e	ci	
3	f	us	
4	g	a	*Translatio s. Wencesl. Non disputatur.*
5	*A*	dri	
6	b	a	
7	c	per	*Nonas. Thomae. Non disputatur.*
8	d	de	
9	e	co	*Cyrilli et Meth. Non disputatur.*
10	f	ra	
11	g	tur	
12	*A*	gre	*Gregorii papae. Non disputatur.*
13	b	go	Hic mutantur exercitia de 15a in 14m.
14	c	ri	
15	d	o	*Idus.*
16	e	cir	
17	f	Ger.	
18	g	trud	
19	*A*	al	
20	b	ba	
21	c	be	
22	d	ne	
23	e	junc.	
24	f	ta	*Hic non disputatur.*
25	g	ma	*Annunciatio Mariae. Non disput.*
26	*A*	ri	
27	b	a	
28	c	ge	Mutantur exercitia de ←
29	d	ni	
30	e	tri	
31	f	ce	

KL. APRILIS habet dies 30.

1	g	*A*	
2	*A*	pril	
3	b	in	
4	c	am	*Ambrosii. Non disputatur,*
5	d	bro	*Nonas.*
6	e	si	
7	f	i	
8	g	fe	*In vigilia Palmarum. Non disputatur.*
9	*A*	stis	
10	b	o	
11	c	vat	
12	d	at	*A quarta feria ante*
13	e	que	*Idus.* *festum paschae ad*
14	f	ti	*quartam feriam post*
15	g	bur	*praedictum festum in-*
16	*A*	ci	*clusive non disputatur.*
17	b	Et	Mutantur exercitia.
18	c	va	
19	d	ler	
20	e	sanc	
21	f	ti	
22	g	que	
23	*A*	ge	*Georgii mar. Non disputatur.*
24	b	or	Electio lectionum.
25	c	mar	*Marci evangel. Non disputatur.*
26	d	ci	
27	e	que	
28	f	vi	
29	g	ta	
30	*A*	lis	

KL. MAJUS habet 31 dies.

(Prandia hora 12a fiant — Exercitia vero 10a et 11a.)

1	b	Phil	*Philippi et Jacobi. Non disputatur.*
2	c	sig	*Sigismundi. Non disputatur.*
3	d	crux	*Inventio crucis. Non disputatur.*
4	e	flor	
5	f	got	
6	g	jo	
7	*A*	an	*Nonas.*
8	b	sta	*In diebus rogationum non*
9	c	nis	*disputatur ante prandium.*
10	d	e	*Hic non disputatur.*
11	e	pi	*Ascensio Domini. Non disputatur.*
12	f	ne	
13	g	ser	
14	*A*	et	
15	b	soph	*Idus.*
16	c	Ma	
17	d	jus	
18	e	in	
19	f	hac	
20	g	se	*A vigilia pentecostes usque*
21	*A*	ri	*ad quartam feriam in-*
22	b	e	*clusive non disputatur.*
23	c	te	
24	d	net	
25	e	ur	
26	f	ban	
27	g	in	*Hic non disputatur.*
28	*A*	pe	*Trinitatis. Non disputatur.*
29	b	de	
30	c	cris	
31	d	an	

KL. JUNIUS habet 30 dies.

1	e	Nic	
2	f	mar	
3	g	cel	
4	*A*	le	
5	b	bo	*Nonas.*
6	c	ni	
7	d	dat	*Vigilia corpor. Christi. Non disputat.*
8	e	jun	*Corporis. Christi. Non disputatur.*
9	f	pri	
10	g	mi	
11	*A*	bar	*Barnabae apostoli. Non disputatur.*
12	b	cy	
13	c	ri	*Idus.*
14	d	ni	*Hic non disputatur.*
15	e	Vi	*Viti et Modesti. Non disputatur.*
16	f	ti	
17	g	que	
18	*A*	mar	
19	b	pro	
20	c	thas	
21	d	al	
22	e	sanc	
23	f	ti	*Hic non disputatur.*
24	g	jo	*Nativitas s. Joannis. Non disputat.*
25	*A*	an	
26	b	jo	
27	c	do	
28	d	le	*Hic non disputatur.*
29	e	pe	*Petri et Pauli. Non disputatur.*
30	f	pau	

KL. JULIUS habet 31 Dies.

	1	g	Jul	
	2	*A*	pro	
	3	b	ces	*Hic non disputatur.*
	4	c	pro	*Procopii. Non disputatur.*
	5	d	cop	Joannis Hus. Non disputatur ex
	6	e	oc	novo statuto.
	7	f	wjl	*Nonas.*
	8	g	ki	
	9	*A*	li	
	10	b	fra	
	11	c	be	
Hic	12	d	ne	
suspen-duntur	13	e	mar	*Margaritae. Non disput.*
lectio-	14	f	gar	
nes	15	g	a	*Idus. Divisio apostolorum. Non disput.*
	16	*A*	post	
	17	b	al	
	18	c	Ar	
	19	d	nol	
	20	e	fus	
	21	f	prax	*Hic non disputatur.*
	22	g	mag	*Mariae Magd. Non disputatur.*
	23	*A*	ap	
	24	b	cris	*Hic non disputatur.*
	25	c	ja	*Jacobi apostoli. Non disput.*
	26	d	an	
	27	e	na	
	28	f	que	
	29	g	sin	
	30	*A*	ab	
	31	b	don	

KL. AUGUSTUS habet 31 dies.

1	c	Pe	*Ad vincula Petri. Non disputatur.*
2	d	steph	
3	e	steph	Hic mutantur exercitia (prandia) de
4	f	proth	13a in 14m.
5	g	os	*Nonas.*
6	*A*	six	Transfiguratio Christi. Non disputatur.
7	b	do	
8	c	cy	
9	d	ro	*Hic non disputatur.*
10	e	lau	*Laurentii. Non disputatur.*
11	f	ti	
12	g	bur	
13	*A*	hip	*Idus.*
14	b	eù	*Hic non disputatur.*
15	c	Sump	*Assumptio Mariae. Non disput.*
16	d	ti	
17	e	o	
18	f	a	
19	g	ga	
20	*A*	pi	
21	b	ti	
22	c	ti	
23	d	mo	*Hic non disputatur.*
24	e	bar	*Bartbolomaei. Non disputatur.*
25	f	tho	
26	g	lo	
27	*A*	ruf	
28	b	au	*Augustini episcopi. Non disputatur*
29	c	col	*Decollatio Joann. Non disputatur.*
30	d	auc	
31	e	ti	

KL. SEPTEMBER habet 30 dies.

1	f	Ae	*Aegidii. Non disputatur.*
2	g	gi	
3	*A*	di	
4	b	um	
5	c	sep	*Nonas.*
6	d	ha	
7	e	bet	*Hic non disputatur.*
8	f	nat	*Nativitas Mariae. Non disputat.*
9	g	gor	Hic mutantur exercitia (prandia) de
10	*A*	gon	14a in 15m.
11	b	pro	
12	c	la	
13	d	ci	*Idus.*
14	e	crux	*Exaltatio s. Crucis. Non disputat.*
15	f	nix	
16	g	Lu	*Ludmillae. Non disputatur.*
17	*A*	lam	
18	b	per	
19	c	te	
20	d	que	*Hic non disputatur.*
21	e	mat	*Matthaei apost. et evangel. Non disp.*
22	f	mau	
23	g	ri	
24	*A*	ci	
25	b	us	
26	c	et	
27	d	da	*Hic non disputatur.*
28	e	wen	*Wenceslai. Non disputatur.*
29	f	mich	*Michaelis. Non disputatur.*
30	g	jer	*Hieronymi. Non disputatur.*

KL. OCTOBER habet 31 dies.

1	*A*	Re	*Dedicatio Pragensis. Non disputat.*
2	b	mi	
3	c	que	
4	d	fran	
5	e	cis	
6	f	cus	
7	g	mar	*Nonas.*
8	*A*	cus	
9	b	di	*Dionysii mart. et sociorum ejus. Non disp.* Electio decani.
10	c	ger	Electio directorum.
11	d	ar	
12	e	te	
13	f	que	
14	g	ca	
15	*A*	lix	*Idus.*
16	b	Gal	*Galli. Non disputatur.*
17	c	le	Electio lectionum a prandio. Mane electio rectoris.
18	d	lu	*Lucae evangelistae. Non disputatur.*
19	e	cas	
20	f	fel	
21	g	un	*Undecim mill. virgin. Non disputat.*
22	*A*	se	
23	b	se	
24	c	ve	
25	d	cris	
26	e	pi	
27	f	ni	*Hic non disputatur.*
28	g	si	*Simonis et Judae. Non disputatur.*
29	*A*	mo	Hic mutantur exercitia de 15^{a} in 16^{m}.
30	b	nis	
31	c	quin	*Hic non disputatur.*

KL. NOVEMBER habet 30 dies.

1	d	Om	*Omnium sanctorum. Non disput.*
2	e	ne	Hic non legitur, nec disputatur ante prandium ex novo statuto.
3	f	no	
4	g	vem	
5	*A*	bre	*Nonas.*
6	b	le	
7	c	on	
8	d	qua	
9	e	the	
10	f	lud	*Ludmillae. Non disputatur.*
11	g	mar	*Martini. Non disputatur.*
12	*A*	fra	*Quinque fratrum. Non disputatur.*
13	b	bric	*Idus.*
14	c	ci	
15	d	i	
16	e	que	
17	f	Post	
18	g	haec	
19	*A*	e	*Elisabeth. Non disputatur.*
20	b	li	
21	c	sa	
22	d	ce	
23	e	cle	*Clementis papae. Non disputatur.*
24	f	cris	
25	g	ca	*Catharinae. Non disputatur.*
26	*A*	the	Hic mutantur exercitia de 16a hora
27	b	ri	in 17m, et prandia aguntur hora 18a.
28	c	na	
29	d	sat	*Hic non disputatur.*
30	e	an	*Andreae apostoli. Non disputatur.*

KL. DECEMBER habet 31 dies.

1	f	De	
2	g	cem	
3	*A*	ber	
4	b	bar	
5	c	ba	*Nonas. Hic non disputatur.*
6	d	ni	*Nicolai. Non disputatur.*
7	e	co	
8	f	con	*Conceptio Mariae. Non disputatur.*
9	g	cep	
10	*A*	et	
11	b	al	
12	c	ma	
13	d	lu	*Idus.*
14	e	ci	
15	f	a	
16	g	Sanc	
17	*A*	tus	
18	b	ab	
19	c	in	
20	d	de	*Hic non disputatur.*
21	e	tho	*Thomae apostoli. Non disputatur.*
22	f	mas	
23	g	mo	
24	*A*	do	*Hic non disputatur.*
25	b	nat	*Nativitas Domini. Non disputatur.*
26	c	steph	*Stephani. Non disputatur.*
27	d	jo	*Joannis evangelist. Non disputat.*
28	e	pu	*Innocentium. Non disputatur.*
29	f	tho	Hic mutantur exercitia de 17ª in 16ᵐ·,
30	g	mae	et prandium fit hora 17.
31	*A*	sil	*Silvestri papae. Non disputatur.*

Literae magisterii in artibus.

Universis et singulis sanctae matris ecclesiae catholicae filiis. Nos magister Joannes decanus ac tota communitas magistrorum facultatis artium in studio Pragensi actu regentium in Christo salutem et firmam, plenamque notitiam omnium subscriptorum. Evangelicae veritatis eloquio comprobante nemo accendit lucernam, et eam in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut, qui ingrediuntur, luminis videant claritatem. Sane cum vir commendabilis magister N. vir utique morum et conversationum decore praepollens, multifariisque artium liberalium scientiis illustratus in studio nostrae universitatis sub gradu baccalariatus multorum actuum solemnium frequentiis legendo et disputando in artibus mirifice prae aliis rutilaret, nos virtutum ipsius meritis, laudis et honoris praemiis occurrere cupientes, tantamque scientiarum candelam universitatis nostrae candelabro supraponi desiderantes, eundem ad apicem vocavimus ma-

gistralem. Qui humiliter nostris condescendens monitis rigori examinis per venerabilem patrem dominum Nicolaum Puchnik dicti Pragensis studii vicecancellarium, licentiatum in decretis et officialem Pragensem commissi benevole se subjecit, in quo repertus idoneus et honore magisterii bene dignus, demum est per eundem dominum Nicolaum vicecancellarium praedictum cum debita solemnitate licentiam in artibus consecutus, captaque licentia totius nostrae universitatis multitudine praesente, praesidente sibi honorabili viro magistro N. nostro in artibus commagistro et socio dilecto anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo nono die tali cathedram honoris ascendit, et in artibus liberalibus publice incipiens magistratum solemniter est adeptus. In quorum evidentiam et recognitionem clariorem nostrae facultatis sigillum praesentibus est appensum. Datum Pragae anno Domini m°. &c.

Literae baccalariatus in artibus.

Universis et singulis &c. ut supra. Cum subscriptorum notitia salutem in vero omnium salutari. Cum juxta meritorum insignia laus et fama cujuslibet sit non immerito moderanda, indignum et a rationis tramite omnino videretur extraneum, quod is qui per vitae suae curricula studiorum et virtutum fulcimentis insudaverit, eum qui otiis torpen-

do sibi ipsi inutilis exstiterit, non deberet in attribuendis honoribus anteire: sane cum commendabilis noster studens N. in universitate studii Pragensis praedicti longis temporibus doctrinarum frequentiis in artibus liberalibus diligenter institerit, publiceque in scholis respondendo et morum conversationibus graviter se prae aliis laude dignum exhibuerit, nos volentes labores ipsius praemiis debitis non frustrari, eundem per rigorem debiti examinis, quo reperiebatur idoneus, ad gradum baccalariatus in artibus unanimi assensu recepimus, quem idem universitate nostra praesente, praesidente sibi honorabili viro magistro N. nostro in artibus commagistro et socio dilecto, anno Domini &c. honorifice et laudabiliter, consuetis nostrae universitatis facultatisque solemnitatibus adhibitis, est adeptus. Quare praefatum N. nunc baccalarium, filium et amicum nostrum dilectum, omnibus et singulis, quibus praesentes nostrae literae fuerint exhibitae, recommendamus fideliter, et rogamus, quatenus ipsum dignentur favoribus prosequi gratiosis, nos per hoc in similibus et majoribus suis beneplacitis constringentes. Datum &c. ut in forma.

Literae commendatoriae sacerd. Joannis.

Quamquam longe lateque eam virtutis constet naturam, ut in re omni se ipsam extollat, sibique

amplissimas vendicet laudes, tametsi a nullo laudetur, ast quoniam rumugeruli, quibus summa censetur voluptas, aliorum (sua neglecta) criminari vitam, eos, quorum impares existunt, probris lacessere non desinunt; quod non insolerter venerabilis presbyter Joannes, qui initia nativitatis suae ex Bystrzycz Moravicali sumserit praesentium exhibitor prospectans, suae apud nostram universitatem conservationis testimonium datum iri sibi depostulavit. Itaque nos magister Gregorius Pragensis, rector studii universitatis urbis ejusdem, aequissimo suo se accommodantes voto universis atque etiam singulis, ad quos hae nostrae literae perlatae, seu a quibus visae, lectae, auditaeve fuerint, palam fieri volumus, quod praefatus Joan presbyter per omne illud, quo apud nostram universitatem commanserit tempus, suam probe atque honeste vitam exegit. Mox etiam ubi sub reverendo magistro Sigismundo de Gistebnicz nostrae incorporatus est universitati, ita studiis et virtutibus vitam instituit, ut tandem non mediocriter in ipsis proficiens in baccalarium universitatis praefatae evaserit, quo in statu non minus probe, verum indies in meliora tendens singula suum concernentia gradum, ut moris est, apud universitatem non indecenter peregit, usque dum divino, ut speramus, subagitatus spiritu se in Italiae pro sacratis acquirendis ordinibus oras contulit, quibus rite ac legitime, ut suae attestantur formatae, consecutis ad nos remigrans, optimis sanctaque conversationi junctus in primis viris, postea per se parochiarum

non ignobilium, utpote ad s. Michaelem in veteri, et ad s. Petrum in Porzecz in nova Pragensium urbium extitit rector, quas et ipsas parochias, plebejos salubriter in divinis erudiens, decentissime gubernavit. Quocirca omnes cujusque conditionis et status viros, ad quos saepenumero tactus presbyter Joannes se receperit, oratum velimus, quatenus eundem benigno excipientes animo perhumaniter favoroseque tractetis. In robur ac praemissorum firmitatem rectoratus nostri sigillum apprimi praecepimus. Datae Pragae 4. die nonas Martias annorum incar. Domini 1477.

Statuta quaedam.

In nomine Domini, amen.

Facultas habeat unum decanum, qui tantum per magistros actu regentes in artibus eligatur, cujus electio quolibet anno bis fiat, primo infra octo dies festum s. Galli proxime praecedentes, secundo infra octo dies festum s. Georgii proxime praecedentes; ejus vero electio per publicam inductionem per nuntium fiat, et si per illam major pars in aliquem concordaverit, teneatur; sin autem fiat per compromissum aut per scrutinium non teneatur, et in hac electione nullus habeat vocem, nisi per insignia magistralia se repraesentaverit, et quicumque horam deputatam pro electione neglexerit, voce sua carebit, nec poterit aliorum factum ali

quatenus impugnare. Electus autem per modu praetaxatum teneatur officium assumere sub poe unius sexagenae solvendae eadem die, nec induci sibi aliquatenus concedantur.

Item anno Domini 1387. die 27. mensis Ap lis in decanatu magistri Jacobi de Briczen fac congregatione facultatis sub hac forma.

Item ad tollendum errorem et discordiam ci ca ordinem scrutinii aut compromissi in statuto electione decani facultatis fuit conclusum, quod antea nullus error aut discordia esset commoven de ordine ratione scripti statuti, sed facta indu tione, si ulterior in electione fieret processu statim fieret per scrutinium, et ultimo, si oppo tunum fuerit, per compromissum.

Electus in decanum et assumens officium st tim mandante sibi seniore facultatis jurabit, qu officium suum fideliter exequatur, et quod sigillu facultatis nulli literae appendat, nisi de ple consensu quatuor magistrorum per facultatem a tium ad hoc specialiter pro tempore electoru Omnes quoque, quot pro tempore praesentes fueri in universitate, et volentes actu regentes esse, v reputari, promittant decano data manu et bo fide, quod ad ipsius vocationem venient, quand cumque per ipsum vel nuntium facultatis fueri accersiti, vel solvant poenam, si non venerint vocationem indictam. Etiam quod de concilio v convocatione proterve vel contemtibiliter non rec dant sine licentia decani speciali sub poena tri grossorum.

Item quod nullus de hoc causetur, si propter carentiam insigniorum sua vox per decanum fuerit annullata, vel ipse etiam propter hoc a concilio excludatur. Item quod secrete velint tenere, quae decanus prohibuerit revelare.

Sequitur aliud.

Decanus habeat communem librum facultatis, quem cum aliis sibi commissis custodiat secundum juramentum praeexpressum. Item quandocumque necessitas facultatis ingruerit, vel alicui magistro, qui requisierit, debet convocationem facere, in qua non debent alia tractari, nisi ea, super quibus fuerat convocatio praefinita. Item articulos, super quibus debet fieri convocatio, debet literatenus cuilibet convocandorum per nuntium facultatis nuntiare, numerum et nomina baccalariandorum seu praesentandorum, si qui sint praesentandi, et magistrorum praesentare volentium numerum et nomina conscribat.

Item habeat videre decanus, quod quilibet regentium ordinarium suum debite legat, et librum suum debite finiat, scilicet in tempore sibi taxato, et quod etiam disputet, quando ex ordine debebit. Et quoscumque negligentes invenerit, eos monere debeat, et si post monitionem negligentes fuerint seu manserint, debet eos facultati denuntiare, quos facultas specialiter conveniat, et etiam rebelles secundum dictamen majoris partis facultatis coercebit.

Item habeat recipere baccalariandos, quando praesentantur, et facere eos jurare statuta facultatis, quae concernunt gradum illum. Et poterit eosdem, scilicet baccalarios, si in legendo, audiendo lectiones, disputationes ordinarias frequentando vel pronuntiando, vel in aliis, ad quae obligantur, negligentes fuerint, monere, et si post monitionem ea, quae debent facere, neglexerint, tenebitur eos denuntiare facultati, quae secundum excessuum exigentiam correctiones et poenas eis infliget.

Item decanus debet acta facultatis et alia quaevis notabilia, quae concernunt bonum vel etiam infestationem facultatis vel universitatis, in libro facultatis consignare, et statuta suo tempore facta et approbata, sive concernant universitatem, sive facultatem, debet in libro consignare. Item baccalariatos, licentiatos et magistratos de novo inscribat libro, ut ordo eorum oblivioni non tradatur, et omnia illa consignata debet tempore suae resignationis facultati recitare.

Item in arduis vocet sub poena unius grossi vel duorum, vel per juramentum, et medietas poenarum sit decani, alia medietas facultatis; et quemcumque vocaverit sub poena, si praesentibus et venientibus, vel majori parti, vel omnibus visum fuerit, quod poena fuit irrationabiliter apposita, vel nimis magna, tunc non possit eam decanus extorquere.

Anno Domini 1369. 21. die mensis Maji statutum fuit concorditer, quod decanus quemlibet magistrum in statutis facultatis oberrantem de collegio, sive extra existentem, indifferenter et aequali-

ter nomine sui officii habeat impetere juxta modum seu modos supra dictos.

Item eodem anno prima die mensis Maji concorditer fuit conclusum, quod in omnibus congregationibus sive universitatis sive facultatis, ubi magistros artium contingit convenire, decanus primum locum habeat inter dictos magistros, disputationibus theologorum, juristarum et medicorum duntaxat exceptis, ubi decanus juxta praesidentis ordinationem seriem capiat arguendi.

Anno Domini 1389. 22. die mensis Maji in decanatu magistri Joannis Helcopii facta congregatione facultatis fuit conclusum in pleno concilio facultatis, nullo contradicente, quod deberent fieri duo nova sigilla argentea, videlicet facultatis et decanatus.

Anno Domini 1367. secunda die Junii fuit concorditer statutum, quod singuli magistri et baccalarei ad missas universitatis et ad missas animarum et ad actus solemnes facultatis, scilicet ad disputationes magistrorum, et quando quis baccalariatus vel magisterii gradum sumit, absque tabardo vel habitu sui gradus venire et esse non debebunt, sub poena privationis loci et ordinis sibi debiti pro illa vice. Item quod quicumque magistrorum ad concilium seu congregationem facultatis venerit sine habitu, vox sua erit invalida ad interimendum vel contradicendum, nec poterit partem augere. Abrogatum.

Item anno Domini 1389. die 29. mensis Maji facta congregatione facultatis secundum formam consuetam in decanatu magistri Joannis Helcopii Abrogatum.

in pleno concilio facultatis fuit conclusum, nullo contradicente, quod quilibet magister artium repraesentans se in habitu seu tabardo spectante ad magistrum in artibus in concilio seu in aliis congregationibus facultatis praedictae sub poena carentiae vocis similiter et loci, non obstante illo, quod decanus specialiter non annullaret vocem ipsius, et omnis conclusio in concilio facultatis, seu in quacumque alia congregatione facultatis per voces seu vocem non tabardatorum seu non tabardati conclusa nullum penitus habet seu habere poterit valorem et vigorem, imo de facto est cassa et nulla; etiam vox sua erit invalida ad interimendum vel contradicendum et ad eligendum, nec poterit partem augere, nec relevabit eum, si a magistro consedente tabardum accommodabit.

De debitoribus.

Item eodem anno, die quo supra, in pleno concilio facultatis fuit conclusum, nullo contradicente, quod quilibet decanus in primo mense sui decanatus debet facere congregationem facultatis ad videndum, an aliqui debitores facultatis sint monendi, et si facultas decreverit, aliquos fore monendos pro debitis, ex tunc decanus una cum collectoribus pecuniarum, ipsi per se vel per nuntium facultatis debent eosdem debitores monere, et ante finem ejusdem primi mensis decanus, facta congregatione facultatis, debet facere relationem facultati.

Anno Dom. 1372. die 19. mensis Augusti fuit conclusum, quod quater in anno, scilicet prima dominica post quatuor Tempora, decanus, qui pro tunc fuerit, semper debet in unum locum baccalarios ejusdem facultatis convocare, et eos de excessibus, si qui fuerint, comminando corrigere, et aliis studentibus quod praebeant bona exempla, eos inducat; et legere eis statuta, quae in gradus assumtione libere juraverunt, ne excedentes et rebelles in eorum pertinaciis erga decanum per ignorantiam valeant se tueri.

Item anno Domini 1368. die 3. mensis Decembris fuit statutum et conclusum, quod decanus non posset resignare officium suum ante debitum tempus sine legitima causa per facultatem dijudicanda, sub poena unius sexagenae statim solvendae.

Anno Domini 1370. die 30. Decembris magistri facultatis artium conciliariter congregati, considerantes ex pluribus conciliis praehabitis, quod dispendiosum foret, pro singulis lectionibus privatis indulgendis, ac etiam pro literis recognitionum graduum, vel etiam promotionum graduatorum, vel scholarium tribuendis, quolibet eventu congregationem communem facere omnium magistrorum, decreverunt unaniminiter, quod pro hujusmodi negotiis quatuor magistri actu regentes de quatuor nationibus ad decanum facultatis eligi debeant, qui, vel major pars eorum cum decano possint hujusmodi lectiones privatas, quamcumque respicit facultatem, indulgere, et literas recognitionum et promotionum petitorias sub certis formis super his confectis petentibus elargiri.

Pro convocandis vero his quatuor magistris ad decanum talem ordinem statuerunt, ut quicumque magistrorum, baccalariorum et studentium seu scholarium indigentiam de praemissis habuerit, primo istam decano exponat, deinde decanus sibi terminum statuat, et illis 4 magistris terminum statutum literaliter insinuet, ipseque, pro quo talis convocatio fieri debet, per se ipsum roget illos magistros, quemlibet singulariter ad praefinitum terminum convenire, vel excusationem si habeant vel habeat, literaliter propria manu rescribere ad decanum, et ex tunc decanus cum magistris advenientibus, vel majori parte ipsorum advenientium, vel si nullus advenerit, vel excusationem rescripserit, se solo negotium ipsum valeat effectualiter expedire, hoc adjecto, quod in proxima congregatione facultatis sequente decanus dicat et manifestet toti communitati, quibus magistris, baccalareis, ac scholaribus lectiones privatae indultae, ac literae sint concessae, electique tales tamdiu in hoc officio persistere debeant, quamdiu decanus, cui fuerint coelecti.

Anno Domini 1367. 14. die Februarii fuit statutum, quod receptores pecuniae facultatis nullo modo debeant capere pignora pro bursis promovendorum, sed promptam pecuniam, nisi super hoc cum isto promovendo a facultate foret dispensatum.

Item eodem anno 2. die Martii in plena congregatione deliberatum fuit et conclusum, quod pecunia facultatis per receptores seu quoscunque alios expendi, distribui, seu consumi non debeat, nisi in communi necessitate facultatis.

Item eodem anno 1367. 20. die mensis Aprilis in plena congregatione facultatis magistri considerantes, quod multae inordinationes et deformitates fierent per pronuntiatores, et multi errores, ex quibus studentibus in artibus magnum dispendium et toti facultati, imo universitati grave scandalum posset exoriri; nam quivis scholaris pronuntiavit, quidquid et quandocunque voluit, propria temeritate, et scripta incorrecta, et ignota multos errores continentia dabant ad pennam, ipsa reverendis magistris false adscribendo, ut tanto plures sibi allicerent repraesentantes; facultas ergo cupiens illorum pronuntiatorum temerariam abusionem supprimere, et utilitati studentium fideliter providere, matura deliberatione praehabita, et unanimi consensu statuerunt, quod quivis magistrorum poterit super quolibet libro de facultate artium propria dicta dare, per se vel per alium pronuntiando, poteritque scripta et dicta aliorum per se vel per alium pronuntiare, dummodo sint ab aliquo vel aliquibus famoso vel famosis de universitate Pragensi, Parisiensi, vel Oxoniensi magistro vel magistris compilata, et dummodo ista antea fideliter correxerit, et pronuntiatorem assumserit idoneum et valentem. Baccalarii super libros Aristotelis et alios libros difficiles propria dicta dare, vel pronuntiare non debebunt, dicta tamen aliorum magistrorum de ista universitate, vel aliorum de universitatibus Parisiensi scilicet, vel Oxoniensi famosorum dare poterunt, non quidem per alios sed per semetipsos pronuntiando, dummodo tamen decanum, qui pro tunc fuerit, praerequirant, ut ista committat ali-

cui magistrorum, qui examinet, si sint dicta istius, cui adscribuntur, an etiam sint correcta; simplex vero scholaris nihil audeat pronuntiare sub poena privationis lectionum, et resectionis a communitate facultatis, nisi ab aliquo magistrorum fuerit ad hoc constitutus, cujus nomine pronuntiet ea, quae a magistro fuerint sibi praesentata et praecorrecta. Hanc ergo constitutionem omnes magistri et baccalarii jam existentes per juramenta praestita fideliter observabunt, futuri quoque eandem jurabunt observare, ita semper, ut nullus pronuntiet, vel faciat pronuntiari, extra limites facultatis, potestate tamen addendi vel minuendi vel mutandi, si videbitur aliquando expedire, utique reservata.

Item eodem anno in vigilia nativitatis beatae Mariae Virginis in plena congregatione facultatis magistri considerantes, quod non expediret, quemlibet regentem incipere quemlibet librum quolibet tempore indifferenter, quod ex hoc scholares fuerint multum discoli, non continuantes libros, scientes, quod iterum ab aliis cito incipientur; etiam quilibet voluit legere libros magis communes, ad quos crederet habere plures audientes, et sic multi libri philosophiae et logicae principales praetermittebantur non lecti; etiam inter magistros fiebat rancor, et invidia propter hoc, quod unus cum alio concurrebat in legendo eundem librum: ad exclusionem omnium istorum statuerunt, quod singulis annis in crastino s. Lucae debeant incipi de novo lectiones ordinariae, et quod quilibet sic disponat de libris antiquis, ut antea finiantur; si vero aliquis librum seu libros

antiquos sic, ut praedicitur, finire non valeret, hic eundem seu eosdem, nisi fuerit de consensu facultatis, legere non praesumat, debent quoque omnes libri Aristotelis una cum geometricalibus, arithmeticalibus, astronomicalibus et musicalibus secundum deliberationem magistrorum regentium, seu pro illo anno regere volentium, inter illos distribui 1ma die Septembris taliter, quod omnes ordinarie, prout sequitur, finiantur, et quicumque magistrorum eadem die distributioni non interfuerit, vel caruerit habitu, locum amittat secundum senium ordinarium eligendi.

Anno Domini 1370. die 30. Decembris magistri facultatis artium conciliariter congregati considerantes, ex pluribus conciliis praehabitis, quod juxta priorem ordinationem distributionis librorum ordinariae lecturae non expediret studio nec facultati, quod quilibet librorum ordinariorum tantum per unum magistrum legeretur, sed potius competeret communi facultati, ut fiat moderamen concurrentium librorum et lectionum; talem ordinem et moderationem unanimiter statuerunt, videlicet, quod antiqua et priore ordinatione per omnia servata, sicut conscripta est, licitum sit cuilibet magistrorum cum alio concurrere per hunc modum, quod quilibet magister volens esse actu regens juxta ordinationem antiquam eligat sibi lecturam ordinariam, qua electa, si voluerit cum alio concurrere, petat sibi de hoc fieri convocationem, in qua convocatione promittat, sub promisso facultati tempore promotionis vel receptionis suae praestito, quod ordinarium suum velit fideliter continuare, nec

propter concurrentiam in ordinario minus ullatenus laborare, atque etiam librum istum, in quo concurrit, aliquatenus postponere sine speciali licentia facultatis, et ex tunc concurrentia sibi, quam petierit, concedatur, eo tamen salvo, quod tantum duo cum tertio scilicet ordinario concurrant, nec aliquis possit cum pluribus, quam duobus concurrere. In tali autem concursu ordinarius habebit locum eligendi horam et scholas, in qua hora nullus sibi concurrentium legat seu legere debet. In hac etiam concurrentia locus esse debet praeventioni et etiam gratificationi facultatis, si plures quam duo concursum petierint ad eundem. Item pro tunc statutum fuit et conclusum, quod nullus in antea deberet concurrere cum ordinarie legente, nisi post octavam epiphaniae, nec pro concurrentia facultati supplicare, neque intentionem suam concurrendi aliis publicare ante festum nativitatis Christi, quia propter hoc forte retraheret aliquos ab auditione ordinarii. Si autem aliquis convinceretur in praedictis excessisse, concurrentia ante festum Georgii nullatenus sibi concedatur.

Item in decanatu mag. Alberti Engelschalk fuit conclusum, quod nullus in antea deberet ordinarium suum permutare.

Istud statutum de concurrentia in decanatu mag. Mathiae de Kerbelicz interpretatum fuit sabbato ante epiphaniae, quod libri, qui non finirentur suis statutis terminis, sine petitionis concurrentia per alios magistros possent legi. Item in decanatu mag. Conradi de Steynsberg, alias dicti de Wormacia statuto de concurrentia magistrorum adjectum fuit, quod ante diem

Innocentium nulla fiat congregatio super cujuscumque petitione pro concurrentia impetranda.

Item quod volentes petere concurrentias in die Innocentium aut quacumque alia die sequenti praesentent nomina sua decano cum nominibus librorum ante diem, in qua congregatio fieri debet.

Item de praeventione, quae in statuto exprimitur, decretum fuit, quod ista praeventio locum habeat circa facultatem, et non circa decanum, ita, quod qui prius obtinet circa facultatem, sive senior fuerit, sive junior, locum teneat praeventionis.

Item quod si duo petierint concurrentiam ad librum eundem, et alter eorum infra octo dies post octavas epiphaniae non inceperit, pro tunc salvum sit alteri petere concurrentiam, qui voluerit, in librum eundem.

Anno Domini 1366. in adventu Domini hoc statutum edidimus, et authorizavimus, quod et praesentibus novis statutis volumus applicari, ut scholares dent pastum *) magistris, quorum audiunt lectiones, sub tali conditione, quod qui annuatim non habet expendere duodecim florenos, totaliter sit exemtus, dummodo ad hoc magistro suo vel rectori faciat fidem. Pastum autem Parisiis et alibi consuetum dari moderamus in hunc modum: de metaphysica 8 grossos per tria quartalia terminanda, de physicorum tantundem per tantundem.

*) Idem, ac si minerval diceres.

Decani universitatis Pragensis. *)

1367 Magister Henricus de Nanaxen, alias dictus de Embecke, Canonicus Moguntinus.
Fridmannus, Canonic. Pragens.
Henricus Woleri alias de Novo-ponte.
Joannes de Holandia de Monickedam.
Nicolaus Geuiczka de Morauia.
1370 Hermannus de Rauenspurg de Westphalia.
Dytherus de Wydera.
Gerardus Wisbecke de Osenbrughe.
Henricus de Stadis alias Grymstette.
Wernerus Cruczeburg.
Conradus Soltoue.
Franciscus de Rauenspurgk, Canonic. Constantiens.
Rutgerus de Lippia.
Jo. Marienwerder.
Nicol. dictus de Gubin.
1375 Menso de Bekehusen.
1376 Jo. Yezer de Frankenford.
Henr. de Stadis.
Blasius Lupus.
Wasmodus de Honbergk.
Erhardus dictus Kouffman de Nuremberga.
Hermannus de Rauenspergk.
Gebhardus Kemyn.
Gregorius Kelre de Stargardia.
Jo. Wilre de Gulch.
1380 Jo. Bebbe de Wydenbrugge, baccalarius in medicina.
Mathias Kerbelicz.
Ditmarus de Swerte.

---

*) Seriem hanc decanorum serius esse insertam recentiores literarum ductus et ortographiae ratio ostendunt.

Lambertus de Enskyrchen, canonic. in capitolio Coloniensi.
Heylmannus de Wormacia.
Tydericus Misstruwe de Wolin.
Joan. de Morauia.
Joan. Wincleri.
Nicolaus Lythomysslenus.
Ditmarus de Swerte.
1385 Nicolaus de Meppen.
Joan. de Hyldensheim.
Herrmann. de Wynterswich.
Albertus Engelschalk.
Jacobus de Bryczen.
Joan. Eliae.
Henricus Reczekow de Rybenicz.
Conradus de Steynsberg alias de Wormacia.
Joan. Helcopii.
Mathias de Legnicz.
1390 Nicolaus Beyer.
Jacobus Tromiten alias de Bartynsteyn.
Henricus Stubing, alias de Hombergk.
Przibislaus de Jessenicz.
Joannes de Langewelt, alias Artsen.
Stephanus de Colonia.
Ludolphus dictus Mestrman.
Joannes de Monsturbergk.
Albertus Engelschalk, baccalar. in s. theolog.
Helmoldus Gledenstede de Zoltwedel.
Joannes de Mutha.
1395 Joan. Ottonis de Munsterberg.
Stanislaus de Znogma.
Fridericus Suner de Ritheim.
Andreas de Bohemicali Broda.
Petrus Posern.
Petrus de Grecz.
Joan. Pfyster de Eystet.
Daniel de Praga.

Nicolaus Stor de Swidnicz.
Stephanus de Palecz majori.
1400 Marquardus Kryneman.
Joan. Altnower.
Erasmus Elyae de Nissa.
Joannes de Hussinecz, *Haeresiarcha*, ser. add.
Henningus Boltenhagis.
Waltherus Harrasser.
Joan. de Pustmir.
Christannus de Prachaticz.
Henningus de Hildensem.
Petrus Storh de Czwekaw.
1405 Gregorius Leonis de Praga.
Michael de Malenicz.
Burchardus de Loffen alias Balingen.
Petrus Weghim de Przibislauia.
Laurentius de Heilsberg.
Joannes de Rzifft.
Joannes Hophmann de Swidnicz.
Albertus Varentrappe.
Simon de Tissnow.
Petrus de Brandis.
1410 Petrus Konyeprus s. theol. nec non jur. can. baccal.
Petrus de Policz.
Thomas de Lyssa.
Marcus de Grecz.
Briccius de Sacz.
Procopius de Kladrub.
Jacobus de Sobieslauia.
Stiborius de Welwar.
Joannes de Werona.
Procopius de Plzna.
1415 Joan. de Borotin.
Nicolaus de Rzeczicz.
Simon de Rokyczana canonic. capellae regiae omnium sctorum. in ecclesia Pragensi.

Martinus Cunssonis de Praga. *)
Nicolaus de Pawlikow.
Laurentius de Nymburga.
Wenceslaus de Mirowecz.
Antonius de Luna, baccal. in medicina.
Petrus de Sepekow.
Borziuogius dictus Borzek de Praga.
1420 Petrus de Hradecz Reginae.
Martinus Cunssonis de Praga.
Petrus de Sepekow.
Gallus de Vtery.
Augustinus de Galatouia (*sic*).
Petrus de Mladenouicz.
1430 Buzko de Kdyna.
Petrus de Sepekow.
Joannes de Borotin.
Buzko de Kdyna.
Wenceslaus de Prachaticz.
Augustinus de Klatouia (*sic*).
Joannes de Przibram.
Petrus de Hradecz Reginae.
Procopius de Plzna.
1440 Buzko de Kdyna.
Petrus de Mladenowicz.
Mauritius de Benessow.
Joannes de Gemnicz.
Martinus de Lanczicia.
Henricus Dornde de Mulhusen.
Joannes de Czaslauia.
Stanislaus de Gnezna.
Petrus de Dwekagowicz.
1450 Andreas de Budiegowicz.
Georgius de Mezyrziecz.
Martinus de Horzepnik.
Hieronymus de Praga.

---

*) 5ta die post electionem officio se abdicavit.

Joan. de Czastalowicz.
Stanislaus de Weluar.
Wenceslaus de Krzizianow.
Wenceslaus de Wrben.
Hieronymus de Skutecz.
Joannes de Praga.
1460 Wencesl. de Nova-Plzna.
Joannes de Strzibro.
Jacobus de Paczow.
Procopius de Montibus Guttnis.
Simon de Chrudim.
Nicolaus Thaborienus de Sussicz.
Gregorius de Praga.
Wencesl. de Paczow.
Wencesl. de Chrudim, alias de Choczna.
Zacharias de Hradecz Reginae.
1470 Gregorius Pragensis.
Joannes de Thabor.
Laurentius de Rokyczana.
Wenceslaus de Trzepsko.
Wenceslaus de Paczow.
Simon de Chrudim.
Duchko ex Mielnik.
Paulus de Zacz.
Wenceslaus de majori civitate Pragensi.
Wencesl. de Trzepsko.
1480 Duchko de Mĕlnik (*sic*).
Martin. de Poczatek.
Wenceslaus de Paczow.
Mathias de Brny.
Victorin. Cornelius Crhudensis.
Joann. de Bleuicz.
Martin. de Poczatek.
Joann. de Wlassim.
Jacobus Strzibrzensis.
Mathias de Brny.
1490 Martinus Poczatensis.
Mathias de Pelhrzimow.

Joan. Bleuicensis.
Mathias de Brny.
Georgius de Gurim.
Martinus de Tissnow.
Joann. Kninus. Passek.
Georgius de Gurym.
Mathias de Pelhrzimow.
00 Michael de Straz.
Georgius Crhudensis.
Paulus Pilgramensis.
Michael de Straaz.
Mathias de Pelhrzimow.
Wenceslaus Candidus Pragenus.
Wenceslaus de Zacz.
Wenceslaus Candidus Pragenus.
Wenceslaus Piiscensis.
Wenceslaus Candidus Pragenus.
Laurentius Trebonius.
10 Mathias Pelhrzimouinus.
Laurentius Trebonius.
Petrus Pisnensis.
Wenceslaus Zacensis.
Joannes Praesticenus.
Paulus Przibram de Praga.
Thomas Wlassimenus.
Wenceslaus Rozdalouinus.
20 Thomas Rakonicenus.
Nicolaus Ssud Lythomysslenus a Semanina.
Georgius Jesulus Pragenus.
Georgius Pisnensius.
Thomas Wlassimenus.
Georgius Pisnensis.
Joannes Choczna.
Martinus Glatouinus.
Joan. Carol. Zluticenus.
Martinus Glatouinus.
530 Wencesl. Medulanus de Piisek a Krymlow.

Joan. Hortensius Pragenus.
Henricus Curius ab Helphenberg.
Joan. Hortensius Pragenus.
Henricus Curius ab Helphenberg.
Joan. Hortens. Pragenus.
Martin Zabrzensis.
Bartholom. Ropalus Pacouinus·
Henr. Curius ab Helphenberg.
1540 Sigismundus Antochius ab Helphenberg.
Gregorius Orinus ab Chocemicz.
Wencesl. Crussinius Altomitenus.
Joann. Cunstat Pragn. a Paumberg m. d.
Joan. Ssentigar a Choterina.
Sebastian. Aerichalcus Praesticenus.
1550 Mathias Curius ab Hagek.
Math. Bydzouinus ab Auentino.
Joan. Artophidius Thynhorssouinus.
Jacobus Codicillus a Tulechowa.
Georgius Polenta Cuttembergens. a Ssudetis.
1560 Thomas Hussinecius Wodnanus.
Paulus Christianus Glatouin. a Koldina.
Matthaeus Philomates Daczicaenus.
M. Petrus Codicillus a Tulechoua.
Procopius Lupacius a Hlauaczoua.
Wencesl. Zelotinus a Formoso-monte.
1570 Marcus Bydczouinus a Florentino.
Nicolaus Alethinus Colonius.
Marcus Bydzouinus a Florentino.
Paulus Pressius Gurimenus.
Marcus Bydzouinus a Florentino.
Mathias Molesynus Montanoslatin.
Wencesl. Zelotinus a Formoso-monte.
Adamus Huberus Mezerzicensis, m. d.
1580 Marc. Bydczouinus a Florentino.
Mathias Gryllus a Gryllowa Rakownicenus.
Trojanus Nigellus Hermannomiestecenus.

M. Marc. Bydczouinus a Florentino. *)
Martinus Bacchacius Naumierzicenus.
Joan. Adami Bystrzicenus.
590 M. Joan. Khernerus Pelzenus.
Adamus Zalužanus a Zalužan, m. d.
Joan. Khernerus Pelzenus.
Martinus Bacchacius Naumierzicenus.
Joan. Chorinnus Bohemo-Trebouinus.
Wenceslaus Vlauerinus Noslauinus Morauus.
600 Simon Skala de Kolinec Glattovinus.
Joan. Chorinnus Bohemo-Trebouinus.
Andreas Mitisko Lithomierizcenus.
Simon Skala de Kolinec Glatovinus.
605 Joan. Campanus Vodnianus.
606 M. Simon Skala de Kolinec Glattovinus.
607 M. Joan. Campanus Vodnianus.
608
609 9. Oct. idem Joan. Camp. Vodnianus.
610 M. Nicolaus Troilus Hagiochoranus.
611 Idem M. Nicol. Troilus.
612 Laurentius Benedictus Nudožerinus.
613 Semestris hyberni.
M. Nicolaus Albertus a Kamenek hebr. ling. professor.
613 Semestris aestivalis.
M. Simon Skala de Kolinec.
614 Semestris hyberni
M. Nicolaus Troil. Hagiochoranus.
M. Joan. Campanus Wodnianus per aestatem.
615 M. Nicol. Troilus in hyeme.
M. Joan. Campanus in aestate.
616 M. Jacobus Zabonius a Wissetina.
617 M. Nicolaus Troilus Hagiochoranus hyeme.
Daniel Basilius de Deutschenberg j. u. d.
618 M. Petrus Fradelius Schemnicenus.
619 M. Georgius SSultissius de Felsdorf.
Daniel. Basil. de Deutschenberg.

*) Ultimus, cujus nomen et acta in codice habentur; decani sequentes calamo diverso additi.

Registrum rubricarum in statutis facu tatis artium contentarum.

PRIMA PRINCIPALIS.

1. De electione decani et ejus officiis.
2. De juramento ipsius electi.
3. De juramento magistrorum, quod faciunt cano noviter electo.
4. De officio decani.
5. De jurisdictione et loco decani.
6. De convocatione baccalariorum in quat Temporibus.
7. De resignatione sui officii.
8. De modo pronuntiandi.

SECUNDA RUBRICA PRINCIPALIS.

De promotionibus et examinibus tam ma strandorum et statu eorundem et praecipue lic tiatorum.

1. Quo tempore eligi debeant examinato et quo tempore fieri debeant examina baccalari dorum.

2. Quis eligi debet in examinatorem bac lariandorum.

3. De personali repraesentatione promov dorum ante examen.

4. Quod religiosi possint admitti ad examina.

5. Quod nullus debeat admitti sub conditione.

6. Quod examinati baccallariandi non debeant vocari per bidellos neque per nuntium decani.

7. Quod nullus debet admitti, nisi audivit libros suos.

8. De bursa, quam quilibet promovendus dabit facultati.

9. De modo petendi dimissionem bursae.

10. Quod non promoveatur aliquis sine signeto decani facultatis.

11. Quod non debent capi pignora.

12. De modo praesentandi baccallariandorum.

13. Quae jurare debent post praesentationem.

14. Quod quilibet pro gradu baccallariatus admissus debet promoveri in eodem quartali et de poena negligentis.

15. De modo promovendi examinatorum.

16. De modo legendi positiones tempore promotionis et poena annexa.

17. Quid facere debent ante intitulationem pro examine.

18. Quod scribere tenetur, in quo hospitio stetit.

19. Quod scribere tenetur principium et finem auditionis librorum. Nota. Hic videatur 29m statutum 10mae rubricae.

20. Quod solus examinatus promoveatur.

21. Quid concernit ipsos jam promotos.

22. Unum antiquum statutum.

23. De modo visitandi disputationes extraordinarias.

24. De modo disputandi eorum diebus festivis.

25. Quod baccalarii promoti debeant habere proprium habitum.

26. De examine et modo promovendi magistrandorum.

27. Quod examinatores nullum admittant nisi audiverit libros suos.

28. Interpretatio statuti de legitimatione.

29. Quomodo examinatores magistrandorum debeant se habere cum tentatis erga facultatem.

30. De juramento magistrandorum.

31. De modo disputandi modernorum magistrorum extraordinarie, et interpretatio de eodem.

32. Quod ante completionem biennii non recedant.

TERTIA RUBRICA PRINCIPALIS.

De receptione baccalariorum aut magistrorum alterius universitatis.

1. De baccalariis alterius universitatis.

2. De magistris recipiendis et de modo quo recipiantur.

3. De loco suo.

Nota. Alterius universitatis magister non admittatur ad (licentiam ?)

QUARTA RUBRICA PRINCIPALIS.

1. De disputationibus.

2. De modo disputandi ordinarie.

3. Quomodo magistri apparere debeant in disputationibus.

4. Moderatio cuiusdam antiqui statuti.

5. De modo disputandi de quolibet et de disputaturi electione.

QUINTA RUBRICA.

De electione et continuatione ordinariorum librorum, et exercitiorum, et extraordinariorum, et de modo concurrendi in eisdem.

1. De modo eligendi ordinarium.

2. De promisso magistri recipientis ordinarium.

3. Quod ordinarius non debet permutari.

4. Quod antiquus liber ultra festum s. Galli non legatur.

5. Quod non debeant ordinarii continuari diebus festivis.

6. Quod ordinarius magistri recedentis vacat facultati.

7. De modo concurrendi in libros ordinarios.

8. De tempore concurrendi.

9. Interpretatio statuti de concurrentiis.

10. Quod liber de secretis mulierum non debet legi.

11. De modo legendi in diebus festivis.

12. Quod solum duae lectiones legi, et audiri debeant pro forma.

13. Quod libri legantur secundum tempora determinata in statutis.

14. Quod dies inceptionis et finitionis librorum debeant decano intimari.

15. Quod puncta non pronuntiantur.

16. Quod libri requisiti pro ordinario diebus festivis non legantur.

17. Quod nullus liber infra disputationem baccalarii aut magistri debet legi.

18. De tempore librorum et pastus quantitate.

19. Quod pastus potest colligi divisim de libris partialibus.

20. De poena minus recipientis de pastu, quam continetur in statutis.

21. De magistris, qui cum decano habent indulgere lectiones in privato et literas sigillandas corrigere.

22. De modo petendi pro hujusmodi literis.

23. De formis hujusmodi literarum et ubi scriptae sunt.

24. De vacationum diebus in diebus canicularibus.

25. Quod in diebus vacationum novi libri et nova exercitia non debent incipi.

26. Quod possunt capi pignora ab audientibus.

27. Quis dicitur actu regens.

28. De modo pronuntiandi accurtatas quaestiones.

29. De tempore maximo et minimo requisito ad legendum.

30. De modo extorquendi pastum exercitiorum et lectionum.

31. De quantitate pastus exercitiorum.

32. Quod disputans in philosophia debet etiam sophisma disputare.

33. Quod statutum de pensa exercitiorum non obligat ad perjurium.

34. Quibus diebus non habentur exercitia.

35. Quantum de pastu debent dare combursales.

36. De diversitate horarum deputatarum pro exercitiis.

37. De modo disputandi in sophistria.

38. De horis exercitiorum tam in aestate quam hyeme.

39. De libris, qui possunt legi diebus festivis.

40. De tempore novorum exercitiorum incipiendorum.

SEXTA RUBRICA.

1. De modo consiliandi, et qui debent interesse.

2. Quod aliquando omnes magistri possunt interesse.

3. De obedientia, quam faciunt decano noviter intrantes concilium.

4. Quando haec statuta debent legi.

5. Quod statuta specialiter regentes concernentia possunt ab omnibus existentibus in concilio pertractari.

6. Quod vox venientis ad concilia sine habitu est invalida.

SEPTIMA RUBRICA.

1. De libro facultatis et rotulo formando.
2. De expeditione rotuli.
3. Quod graduati in artibus non debent poni ad rotulum juristarum.

OCTAVA RUBRICA.

1. De fisco facultatis et debitis extorquendis.
2. De cista facultatis, seris et clavibus, et de tempore impositionis pecuniarum ad eandem.
3. De loco baccallariorum in theologia in actibus et conciliis cum cappa venientibus.

NONA RUBRICA ET ULTIMA (sic).

De excessibus et poenis transgressorum.

1. Exclusio mag. Weleslai. *)

Istae rubricae (*sic*) sequuntur titulos rubricarum infra scriptos.

RUBRICA NONA (sic).

2. Item quod nullus ad examen admittatur

*) Quae sequuntur extant a capite libri fol. 1°. juxta notam folio 12°. pag. versa. „Ego magister Albertus Varrentrappe posui alia statuta in registro, quod habes in 1°. folio."

magistrandorum, nisi qui ter ordinarie, ter extraordinarie respondisset.

RUBRICA DECIMA.

1. Item de exercitiis aestivalibus et hyemalibus et horis eorumdem.

2. Item de conviviis licentiatorum.

3. Item de disputatione de quolibet.

4. Item de moderatione secundi statuti in quinta rubrica de exercitiis.

5. Item de horis exercitiorum.

6. Item quod non incipiantur novae repetitiones in diebus vacationum.

7. Item de concordia facultatum quoad loca graduatorum.

8. Item pronuntiatio ejusdem concordiae.

9. Item de quantitate pastus parvorum logicalium.

10. Item de juramento admittendi ad examen aut tentamen.

11. Item de libris, qui in baccalariatu (?) sint audiendi.

12. Item quod hoc scribant promovendi.

13. Item quod certos articulos teneatur decanus studentibus promulgare in prima congregatione universitatis.

14. Item de promissione recipientis ordinarium.

15. Item solus disputans ordinarie et respondens in quodlibeto eligendus est examinator.

16. Item de visitatione vicecancellarii pro examinibus magistrandorum.

17. Item de dispensatione decani cum dispensatoribus libri partialis secundum tertium articulum.

18. Item de expeditione pastus lectionum in alia universitate auditarum.

19. Item cum quot (?) personis permittuntur fieri declarationes et quando et quomodo.

20. Item de magistris cum decano respicientibus ut statuta serventur facultatis.

21. Item de promisso novorum examinatorum coram facultate in conciliis.

22. Item de modo extorquendi pastus.

23. Item quod in diebus rogationum exercitia ante prandium non habeantur.

24. Item de consimili promissione decani pro examine.

25. Item de statuto legendi in distributione ordinariorum quod est secundum rubricam quintam.

26. Item poena illorum (?) legentium contra statutum in canicularibus.

27. Item quod nullus incipiat aut determinet diebus festis ante prandium.

28. Item quod in die animarum ante prandium non legatur nec disputetur.

29. Examinandos ad gradum baccalariatus schedulas primum offerre oportet.

Statuta facultatis artium studii Pragensis.

Ao. Domini 1390. magistro Mathia de Legnicz, existente decano facultatis artium, statuta ejusdem facultatis antiqua propter eorum inconvenientiam, confusionem et inordinationem correcta fuerunt, et ordine, prout sequitur, conscripta, habitis super hoc multis plenis congregationibus et conciliis facultatis; et ego hoc fieri procuravi, et hunc librum fieri disposui de consensu facultatis.

PRIMA RUBRICA DE ELECTIONE DECANI ET EIUS OFFICIIS.

In nomine Domini amen. Facultas habeat unum decanum, qui tantum per magistros actu regentes in artibus eligatur, cujus electio quolibet anno bis fiat; primo infra octo dies festum s. Galli proxime praecedentes, secundo infra octo dies festum s. Georgii proxime praecedentes; ejus vero electio per publicam inductionem per nuntium fiat, et si per illam major pars in aliquem concordaverit, teneatur; sin autem fiat per scrutinium aut per compromissum (non tenetur), *) et in hac electione nullus habeat vocem, nisi per insignia magistra- Qui sint actu regentes habetur rubrica quinta distinctione 27a.

*) serius additum.

lia se repraesentaverit. Et quicunque horam deputatam pro electione neglexerit, voce sua carebit; nec poterit aliornm factum aliquatenus impugnare. Electus autem per modum praetaxatum teneatur officium assumere, sub poena unius sexagenae solvendae eadem die, nec induciae sibi aliquatenus concedantur.

Notula sequens est inscripta de ao. Dni. 1423. sub decanatu magistri Petri de Sepekow.

Advertendum quod florente adhuc alma universitate Pragensi rigor statuti hujus circa electionem decani cum insigniis magistralibus fuit temperate observatus; nam communiter decanus antiquus, qui officium resignavit, et novus qui suscepit, in habitu magistrali se obtulerunt; ceteri vero magistri, sive sint in habitu, sive sine habitu, qui scilicet tabardus dicitur, indifferenter voces electionis habuerint. Postea vero universitate distracta magnis *) disturbiis, quae pro majori parte inceperunt de a. D. 1420. ob insultus vulgi popularis eosdem habitus deferre non audentes sine tali habitu decanus officium resignabat, et electus assumebat; imo in successu temporis etiam lectiones sine habitu scholastico a graduatis in dicta universitate intimatae legebantur. In illis enim temporibus rex non erat in regno, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, faciebat.

*) vel fortassis religionis.

2.

De decani et magistrorum facultatis promisso.

Electus in decanum et assumens officium statim mandante sibi seniore facultatis jurabit, quod officium suum fideliter exequatur, et quod sigillum facultatis nulli literae appendat, nisi de pleno consensu quatuor magistrorum per facultatem artium ad hoc specialiter pro tempore electorum.

3.

De juramento magistrorum, quod faciunt decano.

Omnes quoque, qui pro tempore praesentes fuerint in universitate, et volentes actu regentes esse, vel reputari, promittant decano data manu et bona fide, quod ad ipsius vocationem venient, quandocunque per ipsum aut nuntium facultatis fuerint accersiti, vel solvant poenam, si non veniunt ad vocationem indictam; etiam quod de concilio vel convocatione proterve vel contemptibiliter non recedant, sine licentia decani speciali, sub poena trium grossorum.

Item quod nullus de hoc causetur, si propter insigniorum carentiam sua vox per decanum fuerit annullata, vel ipse etiam propter hoc a concilio excludatur; item quod secreta velit tenere, quae decanus prohibuerit revelare.

4.

De officio decani.

Decanus habeat communem librum facultatis, quem cum aliis sibi commissis custodiat secundum juramentum praeexpressum, in quo debet acta fa-

cultatis, et alia quaevis notabilia, quae concernunt bonum, vel etiam infestationem facultatis, consignare; etiam statuta, suo tempore facta, et approbata, sive concernunt universitatem, sive facultatem, debet in libro consignare; item baccalariatos, licentiatos, et magistratos de novo, inscribat praedicto libro, ut ordo eorum oblivioni non tradatur; et omnia illa consignata debet tempore suae resignationis facultati recitare. Item quandocunque necessitas facultati ingruerit, vel alicui magistro, qui requisierit, debet convocationem facere, in qua non debent alia tractari, nisi ea, super quibus fuerat convocatio praefinita; item articulos, super quibus debet fieri convocatio, debet literatenus cuilibet convocandorum per nuntium facultatis nuntiare, numerum et nomina baccalariandorum seu praesentandorum, si qui sint praesentandi, et magistrorum praesentare volentium numerum et nomina conscribat. Item habeat videre decanus, quod quilibet regentium ordinarium suum debite legat, et librum suum debite finiat, scilicet in tempore sibi taxato, et quod etiam disputet, quando ex ordine debebit, et quoscunque negligentes invenerit, eos monere debeat, et si post monitionem negligentes fuerint, seu manserint, debet eos facultati denuntiare, quos facultas specialiter conveniat, et etiam rebelles secundum dictamen majoris partis facultatis coercebit. Item habeat recipere baccalariandos, quando praesentantur, et facere eos jurare statuta facultatis, quae concernunt gradum illum, et poterit baccalarios, si in audiendo lectiones, legendo, disputationes ordinarias et extraordinarias frequentando, vel pronuntiando, vel

in aliis, ad quae obligantur, negligentes fuerint, monere, et si post monitionem ea, quae debent facere, neglexerint, tenebitur eos denuntiare facultati, quae secundum excessuum exigentiam, correctiones et poenas eis infliget; item in arduis vocet sub poena unius grossi vel duorum, vel per juramentum, et medietas poenarum sit decani, alia medietas facultatis; et quandocunque vocavit sub poena, si praesentibus, et venientibus, vel majori parti, vel omnibus visum fuerit, quod poena fuit irrationabiliter apposita, vel nimis magna, tunc non possit eam decanus extorquere.

5.

De Jurisdictione et loco decani.

Item ao. Dni. 1369. 20. die mensis Maji statutum fuit concorditer, quod decanus quemlibet magistrum in statutis facultatis oberrantem de collegiis, sive extra existentem, indifferenter et aequaliter nomine sui officii habeat impetere, juxta modum, seu modos supra dictos. Item eodem anno concorditer fuit conclusum, quod in omnibus congregationibus sive universitatis sive facultatis, ubi magistros artium contingit convenire, decanus primum locum habeat inter dictos magistros, disputationibus theologorum, juristarum, et medicorum duntaxat exceptis, ubi decanus juxta praesidentis ordinationem seriem capiat arguendi.

6.

De convocatione baccalariorum quatuor Temporum.

Item ao. Dni. 1372. 19. die mensis Augusti

fuit conclusum, quod quater in anno, scilicet prima dominica post quatuor Tempora decanus, qui pro tempore fuerit, semper debet in unum locum baccalarios ejusdem facultatis convocare, et eos de excessibus, si qui fuerint, comminando corrigere, et aliis studentibus quod praebeant bona exempla, eos inducat, et legere eis statuta, quae in gradus assumptione libere juraverunt, ne excedentes et rebelles in eorum proterviis erga decanum per ignorantiam valeant se tueri.

7.

De resignatione officii.

Item eodem ao. fuit statutum et conclusum, quod decanus non posset resignare officium suum ante debitum tempus suum sine legitima causa per facultatem dijudicanda, sub poena unius sexagenae statim solvendae.

8.

De modo pronuntiandi.

Item ao. Dni. 1367. 20. die Aprilis in plena congregatione facultatis magistri considerantes, quod multae inordinationes et deformitates fierent per pronuntiatores, et multi errores, ex quibus studentibus in artibus magnum dispendium, et toti facultati, imo toti universitati grave scandalum posset exoriri; nam quivis scholaris pronuntiavit, quidquid, et quandocunque voluit propria temeritate, et scripta incorrecta et ignota, multos errores continentia dabant ad pennam, ipsa reverendis magistris false adscribendo, ut tanto plures sibi alli-

Pronuntiatio ad pennam.

cerent reportantes; facultas igitur cupiens illorum pronuntiatorum temerariam abusionem supprimere, et utilitati studentium fideliter providere, matura deliberatione praehabita, et unanimi consensu statuerunt, quod quivis magistrorum poterit, super quolibet libro de facultate artium propria dicta dare, per se, vel per alium idoneum pronuntiando; poterit quoque scripta aliorum, et dicta per se, aut per alium pronuntiare, dummodo sint ab aliquo, vel aliquibus, famoso, vel famosis de universitate Pragensi, Parisiénsi, vel Oxoniensi magistro vel magistris compilata, et dummodo ista antea fideliter correxerit, et pronuntiatorem assumpserit idoneum et valentem. Baccalarii super libros Aristotelis et alios libros difficiles propria dicta dare, vel pronuntiare non debebunt, dicta tamen aliorum magistrorum de ista universitate vel aliorum de universitatibus, Parisiensi scilicet vel Oxoniensi, famosorum dare poterunt, non quidem per alios, sed per semetipsos pronuntiando, dummodo tamen decanum, qui pro tempore fuerit, praerequirant, ut ista committat alicui magistrorum, qui examinet, si sint dicta istius, cui adscribuntur, aut etiam sint correcta. Simplex autem scholaris nihil audeat pronuntiare sub poena privationis lectionum, et resectionis a communitate facultatis, nisi ab aliquo magistrorum fuerit ad hoc constitutus, cujus nomine pronuntiet ea, quae a magistro fuerint sibi praesentata, et correcta. Hanc igitur constitutionem omnes magistri et baccalarii per juramenta praestita fideliter observabunt, et ean-

Libere castigata opera legi possunt de quacumque universitate manaverint.

dem jurabunt observare, ita semper, ut nullus pronuntiet vel faciat pronuntiari extra limites facultatis, potestate tamen addendi vel minuendi vel mutandi, si videbitur aliquando expedire, utique reservata.

SECUNDA RUBRICA.

De promotione et examinibus baccalariandorum et magistrandorum et statu licentiatorum.

1.

Quo tempore fieri debeant examina, et quinam debeant eligi examinatores.

Item ao. Dni. 1378. 21. die mensis Aprilis decretum fuit per facultatem, quod semper Sabbato ante dominicam diem praecedentem quatuor Tempora, decanus facere deberet congregationem magistrorum ad eligendum quatuor magistros de quatuor nationibus pro examinatoribus baccalariandorum ad decanum, ita quod decanus facultatis sit quintus, qui examinent volentes pro tunc ad gradum baccalariatus accedere, seu promoveri.

2.

Quis eligi debeat in examinatorem.

Item postea statutum fuit in plena congregatione facultatis, quod nullus magistrorum eligi debeat in examinatorem baccalariandorum, nisi prius cursum suum compleverit, tam legendo quam disputando.

3.

De repraesentatione promovendorum ante examen.

Item statutum fuit in decanatu magistri Dithmari de Swerthe anno Dni. 1385. 21. die mensis Januarii, quod quilibet examinandus debeat se personaliter facultati repraesentare.

4.

Quod religiosi possint promoveri.

Item statutum fuit in decanatu magistri Gerhardi Vischbeke, quod religiosi possint admitti ad examina pro gradu, qui possunt docere de favore suorum praelatorum.

5.

Quod nullus debeat admitti sub conditione.

Item ao. Dni. 1377. 12. die mensis Januarii conclusum fuit concorditer, quod nullus sub conditione ad gradum baccalariatus debeat admitti, sed solum habilis ad praedictum gradum debet admitti, et promoveri.

Item decanus debet promittere facultati, et examinatores decano, quod velint fideliter examinare, et examinatos digne locare, ut patet latius et plenius rubrica decima distinctione 21 et 24*)

Item si circa locationem baccalariandorum discordia inter examinatores fuerit exorta, quid sit

---

*) adjecta notula in margine: et in decanatu magistri Petri Posern anno Domini 1397.

faciendum, vide statutum per facultatem erectum in decanatu magistri Joannis de Borotin ao. 1415. fol. 123. *)

Item quomodo fieri debeat electio examinatorum gradus baccalariatus, vide fol. 88. facie altera. (serius additum.)

6.

Quod examinati pro baccalariatu non debent vocari per bidellos.

Item 25ta die mensis Septembris conclusum fuit, quod examinati **) pro gradu baccalariatus in artibus, magistri pro tunc deputati per facultatem, sicut fuerunt electi ad examinandum illos, sic etiam quod disponant de ipsis in locorum distributione, et illa distributio fieri debet absque hoc, quod praecedat illorum vocatio per bidellos, neque fieri debet per famulum decani, sed fiat ordo, et ipsis assignetur per examinatores sine speciali vocatione. Motivum magistrorum erat, quia si bidelli illos vocarent, tunc fierent extorsiones pecuniariae, et sic pauperes aggravarentur, et semper post tales vocationes consveverunt multi in collegio congregari, ut viderent, qui ibi admitterentur, et qui non, et exinde multa scandala evenerunt, ideo ille modus debuit sic aboleri; hoc fuit tunc de magistrorum omnium voluntate. ***)

*) Intellige folium libri decanorum. Vi statuti autem laudati standum erat decani judicio. **) Ita co lex.

***) Serius additum: Vide statutum fol. 33. Volens prom-

7.

Quod nullus debet admitti, nisi audiverit libros suos.

Item anno Domini 1372. 13. die mensis Augusti conclusum fuit, quod nullus scholarium debeat admitti in examine per examinatores, nisi complete et publice libros ad gradum baccalariatus essentialiter requisitos in collegio (*) audivisset, non obstante correspondentia in aliis libris habita; quod statutum postea in alia congregatione sic fuit correctum, quod, ubi habetur, quod nullus debet admitti ad examen, nisi libros ad gradum illum requisitos complete et publice audivisset, debet poni loco vocis in collegio, in universitate, scilicet quod publice in universitate audivisset; ibidem autem interpretatum fuit, quod illud dicitur publice legi in universitate, quod intimatur publice in universitate, et legitur ab illo, qui est in universitate, et addebatur, nisi esset ita excellens et idoneus aliquis, quod examinatoribus de eodem appareret digna et sufficiens quoad illum gradum praesumptio, et magistris in collegio **) publice disputantibus sexies ad minus ad sophismata respondisset, ter ordinarie ad minus; fuit enim magistrorum motivum et istius statuti: quod postquam scholares admittebantur propter carentiam in aliquibus libris, ita quod jurabant libros per eos

veri ad gradum baccalariatus debet ad minimum durare in universitate per medium annum.

*) superscriptum: in universitate.

**) superscriptum: in universitate.

non auditos post gradus assumptionem cum diligentia audire, demum graduati juramentum praestitum minime adimplebant, quia audire verecundabantur hujusmodi libros, et sic plerumque de studio evaserunt; per quorum ignorantiam magistri praesumpserunt, quod non modicum detraheretur facultati. Item promovendus ad gradum baccalariatus debet post promotionem illos libros audire publice, quos ante promotionem tenebatur audivisse, licet secum sit dispensatum, quod possit ante completam auditionem promoveri.

8.

De bursa, quam quilibet promovendus dabit facultati.

Item anno Domini 1371. in plena congregatione facultatis propter certas causas fuit conclusum quod omnes et singuli scholares, qui admittuntur per examinatores ad gradum baccalariatus in artibus, debent 20 grossos infra quindenam proximam solvere receptoribus facultatis.

9.

De modo petendi dimissionem bursae.

Sed de pauperibus fuit in pleno concilio ex unanimi consensu magistrorum de concilio statutum, quod dimissionem illius bursae debent petere a facultate, et petens dimissionem bursae propter Deum convocatione super hoc facta cum duobus honestis viris, quorum unus ad minus sit magister de facultate artium, quibus de circumstantiis pe-

tentis constiterit, petat secundum formam inferius scriptam, quam sibi decanus, qui pro tempore fuerit, cum requiritur pro convocatione dimissionis facienda, notificet, et petens dicat: Domine decane, et magistri mei! peto propter Deum, ut mihi bursas, quas facultati solvere teneor, dimittatis, quia in conscientia mea non habeo ultra libros et vestes in praesenti de proventibus quibuscunque res valentes tres sexagenas, aut duodecim florenos, et quam cito habebo res tantum valentes, libenter persolvam sine dilatione; et illi duo tunc dicant: firmiter credimus ita esse, sicut ipse jam dixit, et idem petens cum illis duobus scribatur ad unum specialem locum in libro facultatis sub tali forma: talis A. baccalarius petivit cum testimonio duorum honorabilium B. & C. dimissionem bursarum, ut inferius. Decanus tunc indulta petitione injungat eidem petenti, ut continue interim, quod non solverit, proxima die festiva post novi decani electionem veniat ad eundem petendo pro ulteriori dilatione, quoniam adhuc persolvere nequiverit, et si hoc neglexit interim, quod est in Praga, ex tunc facultas totam pecuniam ab eodem rigorose debet extorquere. Idem debet referri ad magistrandos petentes dimissionem sub taxa dupla, et etiam illi in speciali loco in libro facultatis cum suis testibus debent juxta modum praescriptum collocari.

Solutio ad fiscum magistrorum.

10.

Ut non promoveatur aliquis sine signeto.

Ad supra scriptorum efficaciam magistris in plena congregatione convocatis anno Domini 1373. 15. die mensis Maji statutum fuit et conclusum, ut nullus omnino magistrorum aliquem ad quemcunque gradum promoveat, nisi iste, qui petit promoveri, primo portaverit sibi signetum a decano, quod se de bursa expediverit modo praescripto cum receptoribus facultatis.

11.

Quod non debent capi pignora.

Item statutum fuit 14. die Februarii, quod receptores pecuniae facultatis nullo modo debeant capere pignora pro bursis promovendorum, sed promptam pecuniam, nisi super hoc cum isto promovendo a facultate foret dispensatum juxta praemissum statutum.

12.

De modo praesentandi baccalariandorum.

Promovendus ad gradum baccalariatus, debet per magistrum suum ad congregationem facultatis super hoc factam adduci, & ibi per decanum vel seniorem magistrorum, si non sit decanus, per juramentum praestandum interrogari, si audiverit summulas magistri Hispani, veterem artem, priorum, posteriorum, elenchorum, physicorum, de

anima, & tractatum de sphaera, quia illos libros debet publice audivisse. Interrogetur etiam, si publice in scholis hujus universitatis in disputatione magistri responderit, saltem sexies, ordinarie ad minus ter, quia totiens debet ad minus respondisse; & si invenitur haec fecisse, cedere debet cum magistro suo, ut facultas deliberet, si sint aliqui objectus vel obstantiae, quae debent eum merito ab hujusmodi gradu impedire, vel si aliquis habet contra eum objicere quidquam, quo minus debeat promoveri; quod si non habet, vocetur cum magistro suo, & magister suus, apprehensa manu ejus dextra praesentet eum decano, vel seniori, si decanus non fuerit, & dicat in conscientia sua, quod credit eum in praedictis libris competenter se habere, & ad gradum baccalariatus idoneum esse; & sic decanus recipiat eum, & faciat eum statim jurare articulos infra scriptos, & alia statuenda, quae concernunt gradum illum.

13.

Quae jurare debent post praesentationem.

Primo quod ante determinationem suam dabit receptoribus facultatis 20 grossos, si non dedit, & in promotione sua quatuor grossos ad minus bidello; item quod dabit magistro suo praesidenti & promoventi tempore determinationis suae par chirothecarum *) de quatuor grossis ad minus, vel

*) Codex habet cirothecarum.

aequivalens; super istis tamen poterit facultas dispensare cum paupere, si rogaverit propter Deum. Item quod visitabit per unum annum disputationes extraordinarias magistrorum modernorum; item quod portabit habitum & tonsuras clericales. Item quod audire debeat semper aliquem magistrorum ordinarie, interim quod est baccalarius & in Praga, saltem ter in septimana. Item quod in habitu suo visitabit actus solemnes, & disputationes magistrorum, nec aliquem actum publicum scholasticum sine habitu exercebit, & si continue tres disputationes ordinarias neglexerit, & de hoc convictus fuerit, poenam subire velit octo grossorum facultati solvendorum, aut per quartam partem anni ab omnibus actibus suspendi. Idem intelligitur de baccalariis novis, respectu disputationum magistrorum modernorum. Item quod non velit legere metaphysicam seu libros de majori physica Aristotelis, sed logicalia, parva naturalia, & mathematicalia legere poterit, salvo eo, quod cum nullo magistro concurrat in legendo, nisi fuerit de istius magistri voluntate. Item quod nec legat, nec disputet, nec pronuntiabit in diebus festivis, nisi super hoc speciali licentia a facultate impetrata & obtenta. Item non dabit propria dicta super libros Aristotelis, sed dicta aliorum magistrorum hujus vel alterius famosae universitatis, scilicet Parisiensis vel Oxoniensis, poterit pronuntiare, dummodo decano praeostendat, ut videatur, si sint correcta, & sint dicta istius, cui adscripsit ea; item quod non legat coram non intitulatis discolis, qui sibi

per bidellum universitatis ostenduntur. Item quod lectiones quascunque non legat in privato, sine speciali licentia decani & aliorum quatuor magistrorum deputatorum a facultate ad hoc. Item quod in proxima Quadragesima determinabit in qualibet septimana ante Palmas bis, qualibet vice unum sophisma, & disputabit unam quaestionem; item non portabit habitum subductum vario vel serico, nisi de speciali indulto facultatis. Item leget continue per biennium in universitate ista, nisi fuerit super hoc secum rationabiliter dispensatum. Item quod istum gradum in nulla alia universitate resumet. Item quod bonum universitatis & facultatis artium procurabit, ad quemcunque statum devenerit. Ista duo ultima statuta simpliciter obligant ad perjurium, et ergo debent cuilibet in sua promotione publicari.

14.

Quod quilibet pro gradu baccalariatus admissus, debet promoveri in eodem quartali, et de poena negligentis.

Item in plena congregatione facultatis fuit decretum, quod examinatores baccalariandorum deberent eis dare ordinem, quem observare deberent in scholis, sic, quod quicunque examinatus et admissus ad gradum baccalariatus in artibus per examinatores possit procedere, et suum locum sibi deputatum obtinere, dummodo hoc fiat in quartali statim post ista quatuor Tempora, in quibus exa-

minatus fuerit; si vero ab ultima die quatuor Temporum praecedentium, usque ad primam diem admissionis novorum baccalariandorum exclusive non promotus fuerit, sequatur in ordine omnes pro tunc admissos per examinatores. Item in plena congregatione facultatis statutum fuit, quod scholaribus post examen hujusmodi admissis deberet injungi, quod toto tempore, quo non processerint, disputationes magistrorum visitare teneantur, ad sophismata responsuri, sic baccalarii ad quaestiones, et sub consimili poena per facultatem eis, si negligentes fuerint, indicenda.

15.

De modo promovendi examinatorum.

Quando baccalariandus vult procedere, magister suus debet sibi proponere unum sophisma, ad quod respondebit sedendo cum aliis scholaribus, et non inter baccalarios, et in mantello suo, nec magister contra responsionem replicabit. Ista responsione facta bidellus faciat eum surgere, et habitum induere, et in loco baccalariorum sedere, et magister proponat sibi quaestionem, quam debet honeste determinare, quo facto bidellus faciat eum jurare tria ultima juramenta supra scripta, et alia statuta, et statuenda, et tunc magister faciat collocationem de eo, et dabit sibi gradum baccalariatus.

16.

De modo legendi positiones tempore promotionis, et poena.

Anno Domini 1380. die 14. mensis Januarii ex unanimi consensu magistrorum de concilio conclusum fuit et statutum, quod nullus magistrandus, licentiandus, aut baccalariandus deberet in determinatione sua legere positionem suam interius de carta vel libro, et post hoc per octo dies fuit conclusum ex unanimi consensu magistrorum de concilio, quod quicunque praefatorum contra hoc statutum faceret, iste teneretur solvere facultati unum florenum.

17. 18.

Quid facere debent ante intitulationem pro examine. In quo hospitio.

Item conclusum fuit in decanatu magistri Ioannis Elyae, quod quilibet examinandus tempore intitulationis debet dare in scriptis, in qua bursa, vel in quo hospitio stetit quolibet medio anno, sicut fuit studens, ut per hoc de vita, et moribus uniuscujusque examinandi plenius inquiratur.

19.

Principium et finis auditionis librorum.

Item post hoc fuit statutum, quod quilibet examinandus tempore intitulationis suae, debet dare in scriptis principium et finem temporis, in quo magistri lectores librorum pro gradibus deputatorum inceperunt et finiverunt.

20.

Quod non promoveatur, nisi examinatus.

Item quod nullus baccalariandorum facultati artium praesentaretur, nisi in libris ab ipso auditis a decano et aliis examinatoribus examinatus et idoneus juxta dicti gradus exigentiam sit repertus.

21.

Hoc concernit jam promotos.

Item in plena congregatione facultatis concorditer statutum fuit, quod singuli baccalarii et magistri ad missas universitatis et ad missas animarum et ad actus solemnes facultatis, scilicet ad disputationes magistrorum, et quando quis baccalariatus vel magisterii gradum sumit, absque tabardo vel habitu sui gradus venire et esse non debebunt, sub poena privationis loci, et ordinis sibi debitorum pro illa vice.

22.

Antiquum statutum.

Item quod quicunque magistrorum praesidentium, si voluerint, magistris aliis dicant, ut intersint tempore promotionis magistrandorum aut baccalariandorum, et quibus dixerint, teneantur interesse, nisi tunc habuerint rationabilem causam impedimenti.

23.

De modo visitandi disputationes extraordinarias.

Item in plena congregatione facultatis artium statutum erat, quod de cetero omnes illi bacca-

larii, qui essent promoti, infra spatium unius anni, deberent visitare disputationes magistrorum modernorum extraordinarias, nec ab illis recedere, nisi essent finitae penitus et ex toto.

24.

De modo disputandi baccalariorum in diebus festivis.

Item 19. die mensis Novembris magistri considerantes, quod multae discordiae, et abusiones ex disputationibus baccalariorum in diebus festivis emanarunt, tum in intimando, tum coram decano facultatis, cui propinquius jus competeret, inter juniores et seniores baccalarios saepius quaestiones vertebantur; magistri statuerunt, ut de cetero nullus baccalariorum citius intimare praesumeret, quam tertia die ante illam diem, in qua disputare praetenderet; quod si duo vel tres in intimando concurrerint, possunt et debent omnes tres simul disputare, talem ordinem observando, quod senior habet electionem lectorii deputati pro hujusmodi disputationibus.

25.

Quod baccalarii promoti debent habere proprium habitum.

Item in plena congregatione facultatis conclusum erat, quod quilibet baccalariandus debeat habere proprium habitum, vel rugatam *), habentes seu divites, antequam procedant ad gradum, pauperes

*) Toga sinuum plena.

infra medium annum, vel aliud tempus, secundum quod eis per decanum facultatis deputatur. Et si aliqui baccalarii actu non habeant, sibi debeant infra medium annum comparare; hoc intelligendum, si non obstet consuetudo ad contrarium. Communis consuetudo in universitate fuerat, ut graduatus, quum per se habitum comparare non valuit, pro visitandis actibus scholasticis ab alio mutuabat.

26. 27.

De examine et modo promovendi magistrandorum. Quod examinatores nullum admittant, nisi audiverit libros suos.

Ut infames et discoli, in universitate ista non bene noti, ad gradum magisterii de facili non valeant promoveri, statutum fuit et conclusum 14. die mensis Septembris, quod nullus magistrorum de facultate nostra, qui pro examinatore magistrandorum fuerit deputatus, aliquem ad tentamen admittat, nisi complete audiverit libros infra scriptos, videlicet omnes libros majoris physicae, *) logicam Aristotelis, ethicorum, politicorum, oeconomicorum **), sex libros Euclidis, sphaeram theoricam, aliquid in musica et arithmetica ***), perspectivam communem, de sensu et sensato, de somno et vigilia.

---

*) Codex habet major. Phie.

**) — — yconomicorum.

***) — — arismetica, pronuntiatione vere graeca.

28.

Interpretatio statuti de legitimatione.

Item quod sit de legitimo thoro; sed hoc postmodum fuerat sic interpretatum, quod dictante conscientia credit se esse de legitimo thoro, ista tamen conditione adjecta, quod si cum aliquo per sedem apostolicam dispensaretur, quod posset Nota. sacros ordines recipere, vel unum aut plura beneficia acceptare, non deberet ipsum pronumtiari (*sic*), nisi specialiter in dispensatione fieret mentio de magisterio recipiendo, vel nisi esset una legitimatio communis quoad omnia facta simpliciter.

29.

Quomodo examinatores magistrandorum debent se gerere cum tentatis et erga facultatem.

Item quod examinatores magistrandorum post tentamen ante examinis inceptionem procurent nomina tentatorum in plena congregatione facultatis publicari, ad finem, ut etiam intentio et consensus facultatis de admittendis habeatur, quia posset aliquis esse talis, quod examinatoribus de moribus suis non constaret, sed alicui alteri de facultate esset notus. Item pro tunc statutum fuit, quod nullus magistrorum, qui, ut praemittitur, pro examinatore magistrandorum fuerit deputatus, aliquem pro magisterio examinatum, domino cancellario, seu vicecancellario ad licentiandum praesentare praesumat, nisi prius juraverit, coram decano facultatis et examinatoribus magistrandorum,

Solutio ad fiscum magistrorum.

pro tunc existentium, seu facultate, statuta et statuenda de licentiatis se velle firmiter observare, et specialiter, quod infra quindenam solvere velit 38 grossos facultati, aut quod se velit cum facultate infra idem tempus debite expedire. (Item folio 33. quod ad minimum integrum annum debeat stare in universitate. *)

30.

De juramento magistrandorum.

Item in eadem congregatione facultatis fuit statutum, quod quilibet licentiandus, antequam ulterius promoveatur, coram decano in congregatione facultatis promittet, quod licentiam in nulla alia universitate resumet. Item promittet, quod in nulla alia universitate incipiet in artibus, nisi prius fuerit de consensu facultatis. Item promittet, quod hic leget per biennium in artibus, nisi super hoc secum fuerit dispensatum. Item quod disputationes ordinarias magistrorum velit visitare, et alia statuta seu statuenda de licentiatis facta se velle firmiter observare.

31.

De modo disputandi magistrorum modernorum extraordinarie.

Item in plena congregatione facultatis anno Domini 1370. 6. die mensis Maji fuit conclusum,

---

*) serius additum.

quod magistri noviter magistrati deberent in anno sequenti inceptionem, quilibet eorum octies disputare per istum modum, quod primus inter eos, et secundus disputaret in prima septimana, eis tunc deputata, et alii duo sequentes in sequenti septimana, et sic ulterius, donec ipsi omnes disputassent, et eodem modo iterum a primo et secundo incipiendo, et sic circulariter, donec quilibet suas octo compleat disputationes, ita quod fiant duae disputationes per eos noviter magistratos in septimana, scilicet tertiis et quintis feriis, et habeant duas horas post prandium immediate in scholis, in quibus fiunt ordinarie disputationes. Quod statutum erat interpretatum isto modo, si aliquis dies celebris caderet in tertiam vel in quintam feriam, quod tunc magistri in die sequenti vel praecedenti possent pro ista extraordinarie disputare.

Concernit modernos magistros.

Interpretatio ejusdem.

32.

Quod ante completionem biennii non recedant.

Item in plena congregatione facultatis fuit statutum in decanatu mag. Hermanni de Rauensberg, quod de cetero magistrati in artibus, qui per biennium non legerunt in universitate, in gradu magisterii recedere non debeant, petendo dispensationem a superioribus, nisi prius facultas dispensaverit cum eisdem, ita quod sit de consensu facultatis, ut tales dispensationes obtineant et recedant.

Istud statutum, quod est de juramento magistrandorum, correctum est in hunc modum, ita

quod, ubi stabat: *jurabit*, ibi emendatum est: *promittet*; quia sic prius stabat, ut memorantur antiqui magistri, et examinatura demonstrabat: scilicet controversia grandi inter magistros orta de juramento, aliquis parti uni applaudens deplanavit, *promittet*, scilicet quod sic stabat, et scripsit, *jurabit*; quapropter illa rasura emendata est, ut sic dicatur, *promittet*, et hoc est mandatum decano ex voluntate fere omnium magistrorum, ut habetur in decanatu mag. Hieronymi de Sskutecz *) ad finem libri in sexterno penultimo, ut demonstrat rubea crux cum manu. **)

TERTIA RUBRICA.

De receptione baccalarii aut magistri alterius universitatis.

1.

De baccalariis alterius universitatis.

Item in pleno concilio facultatis fuit statutum, quod baccalarius alterius universitatis volens assumi ad facultatem, antequam reciperetur per magistros, et admitteretur, deberet prius ordinarie disputanti hic respondere ad unam quaestionem, et postea per magistrum suum praesentari, qui dicat in conscientia sua, quod sit sufficiens ad illum gradum; si tunc major pars consenserit, recipiatur, et doceat prius de gradu; sed prius

---

*) serius additum: anno domini 1468.

**) serius additum: fol. 142 (intellige: libri decanorum).

est hoc observatum (*sic*); si vero non, dimittatur. Insuper in alio concilio fuit statutum, quod de cetero quicunque essent alibi graduati gradu baccalariatus in artibus, postquam essent assumpti per magistros, deberent dare 20 grossos, prout dant baccalarii hujus universitatis. Item in alia congregatione fuit conclusum, quod si aliquis baccalarius alterius universitatis reciperetur ad facultatem eo tempore, quo aliqui essent in examine baccalariandorum, deberet sequi omnes illos, qui pro tunc de examine ad gradum admitterentur. *)

2.

De magistris recipiendis.

Item ex unanimi consensu magistrorum de concilio facultatis artium fuit conclusum et statutum, quod cupiens recipi ad consortium magistrorum facultatis artium post intitulationem ad universitatem petat decanum facultatis artium, ut super tractatu de receptione sua faciat congregationem, in qua doceat de magisterio in septem artibus, et praesentet ibidem in scripto per conscientiam suam libros, quos audivit vel legit, et in illa congregatione, lecto sibi statuto, injungatur ei, quod respondeat ad unam quaestionem magistro, quem facultas sibi statim deputabit de actu regentibus, in aliquo die festivo, infra decem dies sequentes post prandium, in qua magistri erunt praesentes, & arguent, qui possunt; item infra

---

*) serius additum: fol. 33.

alios decem dies sequentes disputet talis, qui vult recipi, duas quaestiones in aliquo die festivo post prandium, quas quaestiones faciet ostendi omnibus magistris regentibus per bidellum, cui dabit duos grossos pro salario hujus laboris. Item infra alios decem dies sequentes, disputet ut supra. Item infra alios decem dies sequentes aliquo die festivo post prandium, legat in aliquo libro in artibus brevem lectionem, circa quam determinet duas quaestiones in praesentia magistrorum, & audiat opponentes, & de pecuniis dandis facultati & bidello, & de receptione completive servetur statutum alibi scriptum. *)

3.

Quomodo recipitur.

Postea veniat ad praesentiam facultatis in congregatione super hoc facta, & doceat de gradu & de bonis moribus, quo facto, si placeat majori parti facultatis artium, recipiatur; si vero non, dimittatur. Idem vero magister receptus dabit tantum, sicut unus magistrorum istius universitatis, sed quatuor grossos dabit bidello; item in una alia congregatione concorditer conclusum fuit, quod magister alterius universitatis sic receptus, non deberet praecedere licentiatos, si qui essent nondum promoti, dummodo tantum non differrent, quod tempus eis assignatum esset elapsum; idem intelligendum est de illis, qui adhuc sunt in examine.

De loco suo

*) serius additum: fol. 33.

Et sic finaliter fuit conclusum et decretum, quod nullus graduatus in artibus in alia universitate deberet admitti ad legendum, vel ad disputandum, nisi prius esset modo praemisso per magistros hujus universitatis in congregatione facultatis super hoc facta assumptus, sed ad arguendum admitti potest aliquoties, & locus arguendi sibi poterit dari secundum industriam praesidentis.

QUARTA RUBRICA.

De disputationibus.

1.

De non ommittendis disputationibus ordinariis.

Item ao. Domini 1374. 2. die mensis Julii, magistri advertentes, non esse pro honore & fama eorum, nec pro utilitate scholarium, quod disputatio ordinaria, quae consuevit fieri Sabbato, aut in sexta feria, si festum universitatis in Sabbato eveniret, aliqua levi occasione seu excusatione ommitteretur inconsulte, ideo facta plena deliberatione unanimiter statuerunt, ut in antea quilibet magistrorum pro tempore in ordine suo ordinarie disputet per se ipsum, nisi rationabili causa & legitima fuerit praepeditus, ex tunc cum scitu decani facultatis artium unum seniorem se, quem si habere non poterit, tunc alium de magistris regentibus & disputare ordinarie volentibus pro se ordinet, qui vices suas in disputando statuto tempore absque neglectione valeat effectualiter expe-

dire. Quilibet autem, qui per se, aut per alium disputare, ut praemittitur, neglexerit, poenam octo grossorum facultati solvendorum se noverit incursurum, dummodo sibi per bidellum facultatis, ante sextam feriam, si disputatio debeat esse in Sabbato, aut ante quintam feriam, si disputatio debeat esse in sexta feria, et sic consequenter fuerit intimatum, et ad hoc faciendum bidellus facultatis praedictus obligatur sub poena quatuor grossorum sibi defalcandorum in suo salario vel collecta.

2.

De modo disputandi ordinarie.

Item 24. die mensis Januarii conclusum fuit, quod de cetero disputatio ordinaria continuari debeat usque ad horam vesperorum, et quod sophismata per praesidentem non distribuantur plura, quam tria, nec habere debet plures sophistas, quam novem, ita quod ad quodlibet sophisma possint esse tres, unus concedendo, alter negando, tertius dubitando.

3.

Quomodo magister apparere debet in disputationibus et in aliis actibus.

Item in plena congregatione magistrorum de concilio facultatis artium conclusum et statutum fuit, quod in disputatione ordinaria, in disputatione de quolibet, in recommendatione licentiatorum, et in promotione alicujus ad magisterium, nullus magistrorum debet intrare scholas sine ha-

bitu, salva consuetudine & moderamine ad opportunitatem facultatis. *)

4.

Moderatio statuti antiqui.

In promotione autem magistri nullus poterit alium requirere, quod veniat cum habitu; & in hoc antiquum statutum est moderatum. De continuatione vero, & modo disputandi in disputationibus extraordinariis est praescriptum, videlicet, quo ordine debeant pertractari.

5.

De modo disputandi de quolibet, et de disputaturi electione.

Item anno 1379. 29. die mensis Octobris in plena congregatione magistrorum de concilio statutum fuit, quod decanus facultatis artium, qui pro tempore fuerit, teneatur facere generalem magistrorum omnium congregationem, regentium & non regentium, de facultate artium, Sabbato proximo ante nativitatem sancti Joannis Baptistae, & illam faciat ad ostia publicari, & per scholas, sic, quod verisimiliter quempiam de magistris latere non possit, et in ista congregatione decanus informabit se, quis sit senior magister in facultate, qui de quolibet in artibus juxta hujusmodi statuti tenorem, & post ejus publicationem

*) Notula adjecta: Moderamen vero in hoc dependet, ut facultas in tempore libertatis, quod sibi visum in hoc fuerit, decernat.

non disputaverit, nec disputavit, antequam eum ordo tetigit, nec poenam dedit infra scriptam, quando ordo eum tetigit, et illi injungere teneatur, in eadem congregatione, si praesens fuerit, quod tertia die Januarii proxime tunc futura, si celebris non fuerit, alias proxime sequenti non festiva, incipiat disputare de quolibet, & illam disputationem juxta morem consuetum continuet diligenter singulis magistris de facultate praesentibus in studio, quaestiones per tres vel quatuor dies ante initium suae disputationis in scripto, ut consvetum est, dirigendo; si vero magister senior absens fuerit sine rationabili causa, nec procuratorem idoneum unum magistrum in hujusmodi congregatione habuerit, qui nomine ipsius acceptet, sive assumat onus disputandi injunctum, ut praemittitur, sit condemnatus in poena quatuor florenorum bonorum facultati solvendorum, in certis terminis sub poenis infra scriptis, nisi prius in eodem ordine, antequam eum tetigerit ordo, disputasset, aut prius in eodem ordine poenam solvisset. Si vero magister talis senior praesens fuerit, acceptare teneatur ante solis occasum, sub poena jam praemissa, & si iste, qui senior praesens inventus fuerit, ante solis occasum non acceptaverit, ex tunc decanus ad proximum, sicut commode poterit, faciat novam congregationem ad idem, ut supra, & injungat seniori post illum, qui non acceptavit, sub eadem poena, & hujusmodi congregationes & injunctiones continuet, donec disputare volens habeatur. Si vero praesens magister vel

etiam absens in praemissis rebellis fuerit, contra talem procedatur, quod ex tunc infra sex dies proximos a tempore congregationis & hujusmodi injunctionis computandos, sit condemnatus ad duplum; quod si animo indurato in praemissis statuto non paruerit, infra alios sex dies proxime sequentes sit ab omnibus actibus facultatis publicis & privatis suspensus ipso facto: si vero nec tunc, quod absit, ad obedientiam reversus fuerit, a facultate artium lapsis sex diebus iterum proxime sequentibus sit exclusus, & decanus facultatis artium, qui pro tempore fuerit, talem exclusum faciat, exigente hoc ipsius inobedientia, per omnes scholas artium publicari. Insuper conclusum fuit et statutum, quod magistro disputanti de quolibet, debet de pecuniis facultatis procurari novum birretum, & par chirothecarum, & par caligarum nigri coloris, tanti pretii, quod pro omnibus istis media sexagena ad minus expendatur, et ista debent sibi prima die suae disputationis ex ordinatione decani per unum bidellum nomine facultatis publice ad cathedram praesentari.

QUINTA RUBRICA.

De electione et continuatine ordinariorum librorum, et exercitiorum, et extraordinariorum, et modo concurrendi in eisdem.

1.

De modo eligendi ordinarium.

Item anno Domini 1367. die 7. mensis Septembris in plena congregatione facultatis, magistri considerantes, quod non expediret quemlibet regentem incipere quemlibet librum quolibet tempore indifferenter, quia ex hoc scholares fierent multum discoli, non continuantes libros, scientes, quod iterum ab aliis cito incipientur, etiam quilibet voluit legere libros magis communes, ad quos crederet se habere plures audientes; et sic multi libri philosophiae & logicae principales praetermittebantur non lecti, etiam inter magistros fiebat rancor & invidia propter hoc, quod unus cum alio concurrebat in legendo eundem librum. Ad exclusionem omnium illorum malorum statuerunt, quod singulis annis in crastino sancti Lucae debeant incipi de novo lectiones ordinariae, & quod quilibet sic disponat de libris antiquis, ut antea finiantur. Si vero aliquis librum seu libros antiquos, sicut praedicitur, finire non valeret, hic eundem, vel eosdem, nisi sint de facultatis consensu, legere non praesumat. Debent quoque omnes libri Aristotelis una cum geometricalibus,

arithmeticalibus *), astronomicalibus & musicalibus secundum deliberationem magistrorum regentium, seu pro illo anno regere volentium inter illos distribui prima die Septembris taliter, quod omnes ordinarie, prout sequitur, finiantur, & quicunque magistrorum eadem die distributioni non interfuerit, vel habitu caruerit, locum amittat secundum senium ordinarium librum eligendi.

2.

De promisso magistri ordinarium recipientis.

Item 16. die mensis Dec. in plena magistrorum congregatione conclusum fuit & unanimiter statutum, quod quilibet magistrorum regentium tempore acceptationis ordinarii libri sui promittat decano, se velle suum ordinarium per se vel per alium resignare decano vel facultati, si, antequam eum terminaverit, contingat ipsum recedere, vel non posse continuare. Si vero aliquis magistrorum taliter sine resignatione recesserit, vel alium magistrum sine licentia decani vel facultatis ad continuandum suum ordinarium substituat, tunc magister non resignans, si fuerit praesens, tenetur solvere facultati unum florenum; si vero non fuerit praesens, tunc sine licentia continuans ordinarium non resignantis ad eandem poenam obligatur.

---

*) codex habet: a r i s m e t i c a l i b u s.

3.

Quod nullus ordinarium debet permutare.

Item in plena congregatione facultatis conclusum fuit, quod nullus magistrorum deberet ordinarium suum permutare in antea, sed deberet eum continuare secundum statutum facultatis sub poena sibi per facultatem injungenda.

4.

Antiqui libri ultra festum s. Galli non legantur.

Item quod nullus continuet librum aliquem ultra festum s. Galli, sed finiat, si potest, aut dimittat in aliquo certo loco libri, ne ordinarie pro tunc legentem in aliquo valeat impedire.

5.

Ordinarii non continuantur diebus festis.

Item in alia congregatione magistri statuerunt, ut nullus magistrorum suum ordinarium continuare deberet diebus festivis; quod si secus fecerit, deberet subire poenam dimidii floreni.

6.

Quod ordinarius magistri recedentis vacat facultati.

Item 21. die mensis Novembris conclusum fuit, si aliquis magister recederet ante natale Domini, & librum suum ordinarie electum decano facultatis non resignaret, propter hoc, quia haberet propositum statim post nativitatem Domini ad studium redeundi, quod talis liber deberet vacare facultati, & quod ante festum natalis Domini per

magistrum, qui eundem librum per sortem in facultate obtineret, deberet inchoari.

7.

De modo concurrendi in libros ordinarios.

Item anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo magistri facultatis artium conciliariter congregati considerantes, ex pluribus conciliis praehabitis, quod juxta priorem ordinationem distributionis ordinariorum librorum, & ordinariae lecturae non expediret facultati, quod quilibet librorum ordinariorum tantum per unum magistrum legeretur, sed potius competeret communi utilitati, ut fiat moderata concurrentia librorum & lectionum, & talem ordinem & moderationem unanimiter statuerunt, videlicet, quod antiqua & priore ordinatione per omnia servata, prout conscripta est, licitum sit cuilibet magistrorum cum alio concurrere per hunc modum, quod quilibet magister volens esse actu regens, juxta ordinationem antiquam, eligat sibi lecturam ordinariam, qua electa, si voluerit cum alio concurrere, petat sibi de hoc fieri convocationem, in qua convocatione promittat sub juramento facultati, tempore promotionis vel receptionis suae praestito, quod ordinarium suum velit fideliter continuare, nec propter concurrentiam in ordinario minus ullatenus laborare, aut etiam librum istum, in quo concurrerit, aliquatenus postponere sine speciali licentia facultatis, & ex tunc concurrentia, quam petierit, sibi concedatur, eo tamen salvo, quod tantum duo cum

tertio, scilicet ordinario concurrant, nec aliquis possit cum pluribus, quam duobus concurrere; in tali autem concursu ordinarius habebit locum eligendi horam & scholas, in qua hora nullus secum concurrentium legat, seu legere debet; in hac etiam concurrentia locus esse debet praeventioni, et etiam gratificationi facultatis, si plures quam duo concursum petierint ad eundem. Sed in decanatu magistri Mathiae Kerbelicz fuit hoc statutum de concurrentiis interpretatum, quod libri, qui non finirentur suis statutis terminis, sine petitionis concurrentia per alios magistros possent legi.

8.

De tempore concurrendi.

Item in alia congregatione fuit statutum & conclusum, quod nullus in antea deberet concurrere cum ordinarie legente, nisi post octavam epiphaniae, nec pro concurrentia facultati supplicare, neque intentionem suam concurrendi aliis publicare ante festum nativitatis Christi, quia propter hoc forte retraheret aliquos ab auditione ordinarii; si vero aliquis convinceretur in praedictis excessisse, concurrentia ante festum Georgii nullatenus sibi detur. Et in decanatu magistri Conradi de Wormacia omnibus supra scriptis statutis adjectum fuit, quod ante diem Innocentum nulla fiat congregatio super cujuscunque petitione pro concurrentia impetranda. Item quod volentes petere concurrentias in die Innocentum, aut quacunque alia die sequenti, praesentent nomina sua decano cum nominibus librorum ante diem, in qua congregatio fieri debet.

9.

Interpretatio statuti de concurrentiis.

Item de praeventione, quae in statuto exprimitur, decretum fuit, quod ista praeventio locum habeat circa facultatem, & non circa decanum, ita, quod, qui prius obtinet circa facultatem, sive senior fuerit, sive junior, locum teneat praeventionis. Item, quod si duo petierint concurrentiam ad librum eundem, & alter eorum infra octo dies post octavas epiphaniae non incepit, pro tunc salvum sit alteri petere concurrentiam, qui vult, in librum eundem.

10.

a. *Non debent legi secreta mulierum.*

Item primo die Julii fuit conclusum, quod a modo nulli simplici baccalario in artibus liceat legere libellum de secretis mulierum.

b. *Nullus legat infra disputationem ordinariam.*

Item statutum fuit in decanatu magistri Hermanni de Rauensperg, quod nullus baccalariorum aut magistrorum debeat exercere aliquem actum scholasticum legendo aut disputando infra disputationem ordinariam.

11.

De modo legendi in diebus festivis.

Item in plena congregatione facultatis fuit concorditer statutum, quod lectiones tam pro gradu baccalariatus, quam magisterii spectantes nullo

modo debeant continuari diebus festivis, sive in diebus non legibilibus in calendario expressis, & hi debent per bidellum proclamari. Item quod nec in eisdem diebus possit aliquis publice legere ante prandium; & si quis post prandium voluerit legere in diebus festivis in publico lectorio, potest quidem absque pastus requisitione legere & propter Deum. Item quod pronuntiatores nullo modo debeant pronuntiare in diebus festivis.

12.

Quod nisi duae lectiones legi et audiri debent pro forma.

Item in decanatu magistri Nicolai de Luthomisl in concilio facultatis conclusum fuit concorditer nullo contradicente, primo, quod quilibet magistrorum in futurum legat non plures lectiones, quam duas in libris spectantibus ad gradus, tam tempore hyemis, quam aestatis in diversis libris, & conformiter studens & audiens lectiones supra scriptas.

13.

Quod libri legantur per tempora determinata in statutis.

Secundo, quod legat lectiones usque ad maximum tempus inclusive, quod est deputatum pro libris eisdem in statutis facultatis statim infra notatis.

14.

Quod dies inceptionis et finitionis librorum debent decano intimari.

Tertium, quod legens intimet diem, in qua

principiabit librum, & diem finis ejusdem pro tunc decano.

15.

Quod puncta non pronuntiantur.

Quartum, quod non pronuntiabuntur accurtata tam logicae, quam naturalis philosophiae, sub hac poena, quodsi magister transgressus fuerit omnia praedicta, & convictus fuerit, eo facto sit suspensus ad medium annum ab omnibus actibus tam publicis, quam privatis. Et si studens transgressus fuerit, pro illo tempore non admittatur ad gradum, & aeque bene tenebitur easdem lectiones reaudire.

16.

Libri requisiti pro ordinario diebus festivis non debent legi.

Item in plena congregatione conclusum & statutum fuit, quod nullus baccalarius, licentiatus, aut magister deberet legere diebus celebribus aliquem librum in logica, vel in philosophia naturali, vel morali simpliciter, nec aliquem librum in quadruvio, qui requiritur pro ordinario secundum dictamen facultatis.

17.

Nullus infra baccalariorum vel magistrorum disputationem debet legere (librum).

Nec legere debet aliquam lectionem infra disputationem baccalariorum aut magistrorum.

18.

De tempore librorum et pastus quantitate.

Item ao. Domini 1366. in adventu Dni. fuit statutum, ut scholares debeant pastum magistris, quorum audiunt lectiones, sub tali conditione, quod qui annuatim non habet expendere 12 fl., totaliter sit exemptus, dummodo ad hoc magistro, vel rectori suo faciat fidem. Pastum autem Parisiis aut alibi consuetum dari moderamus in hunc modum: de *metaphysica* 8 grossos per dimidium annum terminanda, de *physicorum* tantundem per tria quartalia terminanda, de *de coelo* 5 grossos per 4 menses, de *de generatione* 3 grossos per 2 menses, de *meteororum* *) 5 grossos sicut de *de coelo*; de *de anima* sicut *de generatione* per 3 menses, *de sensu et sensato* 2 grossos per mensem, *de memoria et reminiscentia* unum grossum per 2 septimanas, *de somno et vigilia* 2 grossos per 5 septimanas, *de longitudine et brevitate vitae* 1 grossum per 2 septimanas, *de vegetabilibus* 3 grossos per sex septimanas; alii taxentur secundum comparationem praedictorum. *Ethicorum* ut *physicorum* per 3 quartalia, *politicorum* ut *physicorum* per medium annum, *rhetorica* ut *physicorum* per 3 quartalia, *oeconomica* **) 1 grossum per tres septimanas, *Boetius de consolatione* 4 grossos per 4 menses, *vetus ars* 3 gross. per 4 menses, *priorum* 4 grossos per 4 menses, *po-*

*) Codex habet: methaurorum.

**) Codex habet: yconomica.

steriorum 3 gross. per tres menses, *topicorum Aristotelis* 4 grossos per 4 menses, *elenchorum* 2 gross. per 3 menses, *tractatus Petri Hispani* 2 gross. per 3 menses, *sphaera materialis*, 1 gross. per sex septimanas, *algorismus* 8 Hallenses per 3 septimanas, *theorica planetarum* 2 gross. per 6 septimanas, 6 *libri Euclidis* 8 grossos per *medium annum*, *almagestum Ptolomaei* 1 fl. per 1 annum, *almanachum* per medium annum 10 gross., *in grammatica Priscianus minor* 2 gross. per 2 menses, *de graecismo* 6 grossos per medium annum, *poetria nova* 2 gross. per 3 menses, *de labyrintho* 1 gross. per 6 septimanas, de *Boetio de disciplina scholarum* (*sic*) 1 grossum per mensem, de 2da *parte doctrinalis* 2 gross. Alii taxentur juxta comparationem praedictorum. Voluit ergo facultas, ut nullus postulando pastum taxam excedat praetaxatam.

Topica Boetii duos grossos per duos menses, et quid debet legi patet rubrica 5a statuto 40.

Item quod quilibet aliquem de dictis libris incipiens certo termino terminare debeat, prout circa quemlibet librum est expressum, nec ipse post receptionem pastus postponere praesumat; & si propter paucitatem audientium non posset continuare, pastum restituat secundum taxam partis lectae his, a quibus recepit; sed si ex legitima causa ipsum a lectionibus desistere oportebit, alium subrogabit ad eundem librum fideliter & utiliter terminando. Item quod quilibet scholaris, si post tertiam lectionem permanserit, ad pastum ejusdem libri erit obligatus, nisi ipsius auditionem propter recessum a studio, vel propter aegritudinem

continuare non posset, ratione cujus deberet excusari.

19.

Quod pastus potest colligi divisim de singulis libris partialibus.

Item ao. Domini 1367. conclusum fuit & statutum, quod pastus lectionum potest capi divisim de singulis libris partialibus proportionabiliter, tamen secundum taxam superius praenotatam.

20.

De poena minus recipientis de pastu, quam continetur in statutis.

Item postea conclusum fuit, quod nullus legentium debet minus capere de pastu librorum, quam in taxa librorum praescripta continetur, & si quis minus postulaverit, vel ex intentione minus receperit, ut per hoc alliciat sibi scholares, tenetur ad poenam unius flor. quem solvat facultati.

21.

De magistris, qui habent cum decano lectiones privatas indulgere, et literas sigillandas corrigere.

Ao. Dni. 1370 die 30. Decembris magistri facultatis artium conciliariter congregati, considerantes ex pluribus conciliis praehabitis, quod dispendiosum foret pro singulis lectionibus privatis indulgendis, ac etiam pro literis recognitionum graduum, vel etiam promotionum graduatorum vel scholarium tribuendis quolibet eventu congregationem communem facere omnium magistrorum, decreverunt unanimiter: quod pro hujusmodi negotiis quatuor

magistri actu regentes de quatuor nationibus ad decanum facultatis eligi debeant, qui vel major pars eorum cum decano possint hujusmodi lectiones privatas, quantum respicit facultatem, indulgere, et literas recognitionum & promotionum petitorias sub certis formis super his constitutis petentibus elargiri.

22.

De modo petendi pro hujusmodi literis.

Pro convocandis vero his quatuor magistris ad decanum statuerunt, ut quicunque magistrorum, baccalariorum, & scholarium indigentiam de praemissis habuerit, primo istam decano exponat, deinde decanus sibi terminum statuat, et illis 4 magistris terminum statutum insinuet; ipseque, pro quo talis convocatio fieri debet, per se ipsum roget illos magistros, & quemlibet singulariter ad praefinitum terminum convenire, vel excusationem si habeat vel habeant, propria manu rescribere ad decanum; & ex tunc decanus cum magistris advenientibus, vel majori parte ipsorum advenientium, vel si nullus advenerit, vel excusationem rescripserit, se solo negotium ipsum valeat effectualiter expedire, hoc adjecto, quod in proxima congregatione facultatis sequente decanus dicat & manifestet toti communitati, quibus magistris, baccalariis, aut scholaribus lectiones privatae indultae, aut literae hujusmodi sint concessae; electi quoque tales tam diu in hoc officio persistere debeant, quamdiu decanus, cui fuerunt coelecti.

23.

De formis hujusmodi literarum, quae in principio istius libri sunt annexae.

Et propter praescripta statutum fuit in alia congregatione et conclusum, quod in libro facultatis haberi debeant certae formae tam literarum testimonialium de gradibus magisterii, licentiaturae, & baccalariatus, quam etiam literarum recommendatoriarum & promotoriarum, quae formae, et non aliae, per decanum & alios quatuor magistros ad sigillandum hujusmodi literas secundum statutum praescriptum deputatos petentibus debent sigillari, et istae formae huic libro superius sunt inscriptae.

24.

De vacationum diebus in diebus canicularibus.

Ao. Dni. 1370. 13. die mensis Julii statutum fuit & conclusum in plena congregatione facultatatis, quod vacationes incipere deberent in crastino Margaritae & servari semper in futurum isto modo, quod quicunque magistrorum lectiones suas suspendere voluerit a festo Margaritae usque in crastinum Bartholomaei, poterit bene; quicunque vero legere vellet, ille posset legere usque ad festum s. Jacobi apostoli, et quod nullus magistrorum aliquid legere debeat a crastino Jacobi usque in crastinum beati Bartholomaei.

25.

Quod in vacationibus istis nullus magistrorum novas lectiones et exercitia audeat incipere.

Item omnibus magistris ad hoc convocatis in

plena congregatione facultatis artium statutum est, quod de cetero nullus magistrorum in & pro diebus vacationum novas lectiones & nova exercitia incipiat, sed antiqua exercitia possunt eisdem diebus continuari absque recuperatione exercitiorum antea neglectorum, statuto de lectionibus in suo robore simpliciter duraturo.

26.

Quod possunt capi pignora ab audientibus post tertiam lectionem.

Item conclusum fuit, quod quilibet magistrorum post tertiam lectionem vel quartam alicujus libri teneatur capere pignora, semel vel bis, vel quando & quotiens magis opportunum sibi videbitur, ab his, qui se de pastu nondum expediverunt, sub poena duorum flor. facultati solvendorum.

27.

Quis dicatur actu regens.

Item magistri in plena congregatione conciliariter congregati declaraverunt, statutum de regentia magistrorum ad petitionem unius magistri, scilicet, quod nullus dicatur actu regens in artibus, nisi qui legat ordinarium suum, dummodo poterit habere audientes; si vero venerit post distributionem ordinariorum, legat unum librum magistralem quemcunque publice et attente. Insuper quod velit ordinarie disputare in artibus per se, aut per alium magistrum seniorem eo, dum ordo tetigerit eum, et per bidellum universitatis sibi intimatur; et quod velit parere mandatis decani facultatis.

28.

De modo pronuntiandi accurtatas quaestiones.

Item magistri considerantes, quod vergebat in non modicum scandalum facultati, quod magistri quaestiones Buridani & aliorum magistrorum accurtabant, per januas intimando: tunc pronuntiabuntur quaestiones accurtatae Buridani; ideo statuerunt, ut nullus magistrorum de cetero praesumat quaestiones alterius magistri accurtare, nisi sibi adscribat, sic intimando: tunc pronuntiabuntur quaestiones illius, qui easdem collegit.

29.

De maximo et minimo tempore pro legendis libris requisito.

Item penultima die mensis Januarii conclusum fuit, quod libri pro forma graduum deberent finiri per modum, ut sequitur, ut quod pro quolibet libro fuerint conclusa duo tempora, scilicet unum, quod esset maximum, ultra quod non deberet legi, et aliud minimum, infra quod non deberet finiri; pro libro *physicorum*, similiter et *ethicorum*, tria quartalia; minimum, infra quod non, duo quartalia; pro *metaphysica*, similiter et *Euclide*, maximum, tria quartalia, minimum, infra quod non, quinque menses; pro *politicorum* maximum, tria quartalia, minimum, infra quod non, quatuor menses; pro *de coelo* maximum, quatuor menses, minimum, infra quod non, tres menses cum medio, et similiter de *meteororum*; pro *de generatione* duo menses ad maximum, minimum, infra quod non, septem septimanae; similiter pro *de anima*; pro

de *sensu et sensato* unus mensis ad maximum, minimum, infra quod non, tres septimanae; similiter pro *de sommo et vigiliá,* similiter pro *aritbmetica accurata,* similiter pro *musica Muri*; pro *tbeorica planetarum* sex septimanae ad maximum, quinque pro minimo, infra quod non; pro *perspectiva communi* 14 septimanae ad maximum, tres menses minimum, infra quod non; pro *spbaera* sicut pro *tbeorica planetarum*; pro *veteri arte* quatuor menses ad maximum, tres pro minimo, quod non infra, similiter de *priorum*; pro *posteriorum* tres menses ad maximum, 10 septimanae pro minimo, infra quod non; pro *topicorum Aristotelis* quatuor menses pro maximo, tres pro minimo, infra quod non; pro *elencborum* tres menses pro maximo, et duo pro minimo, infra quod non; *tractatus Petri Hispani* pro maximo, tres menses, pro minimo, infra quod non, 10 septimanae; pro *oeconomica* *) tres septimanae pro maximo, duae cum dimidia pro minimo, infra quod non.

30.

De modo extorquendi pastum exercitiorum et lectionum.

Anno Domini 1379. de mense Septembri, die 17. facta plena congregatione magistrorum in artibus studii Pragensis, attenta utilitate legentium et studentium in eisdem, ex multis deliberationibus et consiliis maturis praehabitis unanimiter conclusum

*) Codex habet: Yconomica.

fuit et statutum, quod antiquis statutis de pastu exercitiorum in artibus, quibus studentes in tertio actu exercitii ad totum pastum medii anni obligantur, in suo vigore omnino permansuris, ipsi studentes praefati de exercitiis in aestate, quae communiter incipiunt circa festum s. Georgii, medietatem totius pastus in festo s. Urbani, et reliquam medietatem in profesto nativitatis beatae Virginis solvere teneantur; de exercitiis vero in hyeme, quae communiter incipiunt circa festum s. Galli, primam medietatem totius pastus in profesto s. Martini, et medietatem reliquam in die s. Georgii *) similiter solvere teneantur, sub poena suspensionis ab omnibus actibus scholasticis publicis et privatis, lectionum vel exercitiorum pro quolibet praemissorum terminorum ipso facto, cujus suspensionis publicatio per rectorem, qui pro tempore fuerit, sub rectoratus sigillo ad januas fieri debet infra octo dies, postquam disputans vel exercitia tenens rectoris officium contra hujusmodi studentem invocabit; et si, quod absit, aliquis de studentibus praemissam suspensionem et ipsius publicationem minime curaverit: ex tunc rector contra talem juxta formam statutorum universitatis in subsidium juris procedet rigorose. Si vero extra praemissa tempora aliqui de magistris inceperint habere exercitia, vel breviori tempore, quam praemissum est, continuaverint, studentes ipsi juxta temporum comparationes ad consimiles terminos sub

*) Codex habet: Gregorii.

eisdem poenis pastum solvere teneantur. De lectionibus autem in eadem congregatione statutum fuit et conclusum, quod in tertia lectione quilibet magister legens teneatur facere conscribi suos audientes, qui etiam tunc juxta antiquum statutum ad totum pastum obligantur, et si aliqui tunc vel infra duos dies proxime sequentes pastum non solverint, a lectionibus illius totius libri quoad istum magistrum sint exclusi, et nihilominus eidem magistro pastum solvere teneantur, sub poenis circa pastum exercitiorum praenotatis. Et in pleniorem hujus statuti executionem nullus admittatur ad examen pro aliquo gradu in artibus, nisi libros, quos audivisse tenetur, & a quibus magistris audiverit, decano & examinatoribus praesentet in scripto, & examinetur, an pastum magistris suis solverit; & si compertum fuerit, quod aliquis magistro non solverit, talis magister habeat, si voluerit, potestatem plenariam ipsum, qui non solvit, impediendi, ne admittatur illa vice, contradictione aliorum magistrorum non obstante.

Item in eadem congregatione statutum fuit & conclusum, quod decanus facultatis artium congregare teneatur omnes magistros volentes legere vel exercitia tenere, semel in crastino s. Georgii, & semel in crastino s. Galli, sub tali tenore: Magister reverende! si volueritis isto medio anno legere & exercitia tenere, vel tantum alterum horum facere, veniatis ad congregationem facultatis ad audiendum statutum de extorquendo pastum

lectionum et exercitiorum, sub poena unius floreni; & si quis magistrorum de transgressione hujus statuti confessus vel convictus fuerit, teneatur medietatem pastus exercitiorum, si circa exercitia excesserit, & unum florenum, quotiens circa lectiones transgressus fuerit, solvere facultati artium supra dictae; & si de illa congregatione, de qua praemittitur, aliquis de magistris se absentaret, & postea statutum non servaret, ante omnia teneatur ad poenas praemissas, et de ulteriori poena sit in gratia facultatis.

31.

De quantitate pastus exercitiorum.

Item anno domini 1372. in die s. Aegidii fuit conclusum, quod quilibet magistrorum, qui disputaret in philosophia tam morali, quam naturali, pro tribus actibus in septimana a suis exercitantibus, duntaxat habentibus, non minus, quam unum florenum ad quartale anni pro suis susciperet laboribus, & cum hoc ipsis legendo solum unam lectionem gratis, quam in publico, si locum habere poterit, cum diligentia compleat.

32.

Item anno Domini 1393. die 27. mensis Maji facta plena congregatione magistrorum nullo contradicente conclusum fuit, quod quilibet magistrorum per medium annum disputans in logica Aristotelis singulis diebus disputabit per unam horam,

a quolibet exercitationem habente capere deberet mediam sexagenam grossorum.

33.

Quod disputans in philosophia debet etiam unum sophisma vel duo praedisputare.

Item Sabbato ante Michaelis conclusum erat in facultate, quod quilibet disputans in philosophia naturali ad minus deberet unum sophisma, vel duo ad majus disputare, et pro isto tantum debet dari sicut de exercitio totaliter philosophicali, et debet sophisma, vel sophismata ante quaestiones disputare. Item conclusum fuit, quod nullus magistrorum uno actu plures, quam tres quaestiones vel duas quaestiones cum uno vel duobus sophismatibus ad majus, ut praescriptum est, debeat disputare.

34.

Quod statutum de pensa exercitiorum obligat ad certam poenam pecuniariam, et non ad perjurium.

Item 16. die mensis Maji mag. Benedictus de de Serenio petivit dispensationem bienii et indulsit sibi facultas et concessit.

Item 25. die mensis Maji Petrus de Warsouia det. sub mag. Alexio de Peccarii.

24. die mensis Maji Jacobus de Plzna det. sub mag. Procopio de Plzna.

Praeterea 27. die mensis Maji mag. Joan. de

Nausedlicz petivit dispensationem pro mag. Elia Martini sacrae theol. baccalarii formati tunc absentis (*sic*), et indulsit sibi facultas.

Circa festum pentecostes in 4 temporibus 14. die mensis Junii, aperto examine pro gradu baccalariatus in artibus, nullus venit ad intitulandum, et non fuit examen praemissum et apertum.

Facta congregatione magistrorum eodem die et hora praemissis nullus obtulit se libere ad acceptandum disputationem de Quolibet.

Item 17. die Junii mensis secundum statuta electus fuit in quodlibetarium mag. *Simon* de Tyssnow, sacrae theologiae baccalarius.

Item 16. die mensis Augusti Joan. Ilcuss det. sub mag. Petro Wrbka.

25. die Augusti mensis Petrus de Warsouia, baccalarius in artibus, recepit dispensationem pro biennio complendo.

Item 16. die mensis Septembris pro examine, quod solet fieri in 4 temporibus ante festum s. Wenceslai martyris fuerunt electi examinatores baccalariandorum: mag. Alexius de Peccari, mag. Stephanus de Broda, mag. Borzywogius de Praga, mag. Petrus de Sepekow, et fuerunt infra scripti admissi secundum hunc ordinem: Mathias de Hostuna, Dionysius Emerici de Roycza, Andreas de Myslyborzicz, Martinus de Kamenycz, Gregorius de Hostka. dd.

Item 25. die mensis Septembris Mathias de Hostuna det. sub mag. Joanne de Borotyn.

Item Martinus de Kamenicz et Gregorius de Hostka dett. sub mag. Procopio de Plzna 2. die mensis Octobris.

Decanatus mag. Stiborii de Welwar.

Anno Domini 1413. ego Stiborius de Welwar, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium universitatis studii Pragensis 14. die mensis Octobris secundum formam statutorum super hoc confectorum; juravi et promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Eodem die electi fuerunt collectores: mag. Thomas de Lyssa et mag. Joan. Grecz.

Eodem die electi fuerunt assessores: mag. Petrus Konyeprus et mag. Procopius de Cladrub.

Item eodem die electi fuerunt dispensatores librorum: mag. Simon de Rokyczano, mag. Stephanus de Boh. Broda, mag. Przyech de Branycz, mag. Borzywogius de Praga.

Item 4. die mensis Decembris Dionysius Emerici de Roycza det. sub mag. Jacobo de Sobieslauia.

Item 15. die mensis Decembris pro examine, quod solet fieri in quatuor temporibus ante festum nativitatis Christi, fuerunt electi examinatores baccalariandorum: mag. Thomas de Lyssa, mag. Nicolaus Stoyczin, mag. Prziech de Branicz, mag. Joan. de Zlutycz, et admiserunt infra scriptos secundum hunc ordinem: Stephanus Alexandri de

Sossnyeszowycz. Albertus de Zluticz. Joan. Plach de Znoyma. d.

Item eodem die mag. Prziech obtinuit reservationem loci Andreae de Misliboricz ex certis causis usque ad proximum examen.

Item 8. die mensis Januarii conclusum fuit per facultatem, quod disputatio de Quolibet, quam tenere debet mag. Simon de Tyssnow, ultra consuetum tempus ex causis differatur; postea autem in sequenti convocatione domini rectoris tempus fuit assignatum ac conclusum post festum s. Georgii.

Item in vigilia epiphaniae in plena congregatione facultatis quaesitum fuit, an examen magistrandorum aperiri debeat, et an examinatores eorundem a domino cancellario peti debeant; et conclusum fuit per majorem partem de quaerendo, an aliqui sint, qui vellent intrare examen magistrandorum.

Item quaesitis et non inventis 8. die mensis Januarii in plena congregatione facultatis conclusum est, quod non petantur examinatores, et sic dimissum est examen magistrandorum.

Item 24. die mensis Januarii Albertus de Zluticz det. sub mag. Joanne de Zluticz et bursam 20 grossorum dedit.

Item Stephanus Alexandri de Sossnyessowicz 30. die mensis Januarii det. sub mag. Antonio de Luna, tunc rectore, et bursam 20 grossorum dedit.

Item eodem die promotus fuit in baccalarium medicinae sub mag. Joanne Sewo de Monte-leonum.

Item 27. die mensis Februarii Andreas de Mysliborziz det. sub mag. Petro de Sepekow.

Item examen baccalariandorum, quod solet fieri in quatuor temporibus Jejunii, aperto eo et nullo veniente, dimissum est.

Item in congregatione domini rectoris, dominus rector petivit a facultate concedi sibi aliquam summam pecuniae ex parte universitatis ad solvendum notario universitatis, quod facultas tunc per pluralitatem vocum concludens dixit concedendum.

Item mag. Laurentius de Nymburga petivit se assumi ad concilium facultatis; interrogatus de his ad haec pertinentibus, juravit singula se impleturum.

Item mag. Joannes de Werona, et mag. Nicocolaus Stogyczyn, et mag. Stephanus de Broda petierunt se assumi ad concilium facultatis, interrogati, facienda fecerunt et juraverunt, et admissi sunt.

Decanatus mag. Joannis de Werona.

Anno Domini 1414. die 22. mensis Aprilis ego Joan. de Verona, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum; juravi et promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Item eodem die in convocatione facultatis electi sunt in dispensatores librorum mgri: Joannes de Borotin, Nicolaus de Rozecnicz, Elias de Tyn Horssowiensi, Petrus de Dobrzechow.

Item eodem die electi fuerunt collectores mgri: Laurentius de Nimburga et Simon de Rokyczano.

Item die eodem electi fuerunt assessores: mag. Stiborius de Veluaro et mag. Stephanus de Broda boëmicali.

Item eodem anno, quo supra, in quatuor temporibus, quod solet fieri post festum pentecostes, aperto examine pro gradu baccalariatus nullus venit ad intitulandum, et ob hoc erat dimissum.

Item anno, quo supra, die 17. mensis Junii facta plena congregatione magistrorum, si quis vellet se offerre disputaturum de Quolibet, nullus se obtulit libere ad acceptandum disputationem de Quolibet; sed juxta majorem partem mgrorum consensum, conclusum fuit, ut in vigilia s. Joan. Baptistae fiat convocatio ad eligendum disputaturum de Quolibet, aut ad ratificandum electionem prius factam de mag. Simone de Tysnow, qui debebat tenuisse disputationem praedictam de anno praeterito.

Item anno, quo supra, in vigilia s. Joan. Baptistae facta plena congregatione mgrorum ad eligendum disputaturum de Quolibet juxta statuta facultatis mag. Simon de Tyssnow electus et reelectus est in quodlibetarium, et a priori electione de ipso facta de anno praeterito recedere noluerunt, sed eandem omnino approbaverunt.

Item anno, quo supra, 15. die mensis Septembris, aperto examine pro gradu baccalariatus, nullus venit ad intitulandum, et ideo pro illa vice examen erat omissum.

Decanatus mag Procopii de Plzna.

Anno Domini 1414. die 13. mensis Octobris ego Procopius de Plzna, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum, et promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Item eodem die electi fuerunt collectores, assessores, et dispensatores, ex nominibus iidem penitus, qui electi fuerant statim in praecedenti decanatu, eo quod propter examinandorum absentiam sua officia non exercuerunt.

Item anno eodem, tempore decanatus supra dicto, in quatuor temporibus ante nativitatem Domini electi fuerunt examinatores baccalariandorum isti quatuor: mag. Thomas de Lysa, mag. Michael de Malenicz, mag. Alexius de Pekari et mag. Martinus de Wolyna, qui cum praedicto decano infra scriptos ad gradum baccalariatus admiserunt facto examine eorumdem: Nicolaus de Manyetyna, Jacobus de Hradecz-reginae, Mathias de Hradecreginae, Laurentius de Samotuly, Nicolaus de Thamassida, Rudolphus de Czaudicz, Matthaeus Divitis de Storkow. dd. Michael de Ratybor, petivit dilationem bursae.

Item ante proxima futura quatuor tempora praedicti baccalariandi determinaverunt sub mgris infra scriptis.

Sub mag. Procopio de Plzna, tunc decano, Nicolaus de Manyetyna et Rudolphus de Czaudicz, quaestiones determinantes, ad gradum baccalariatus sunt promoti.

Sub mag. Simone de Rockyczano Jacobus et Mathias de Hradecz-reginae, et Matthaeus de Sstorkow determinaverunt.

Sub mag. Alexio de Pekary Laurentius de Samotuli determinavit.

Sub mag. Petro de Sepekow Nicolaus de Thamassida determinavit.

Sub mag. Petro de Wrbka Michael de Ratybor determinavit.

Item Michael de Ratybor petivit dimissionem bursae facultatis, et in testimonium suae paupertatis adduxit mag. Petrum de Wrbka et Nicolaum de Thamassida, baccalarium.

Item mag. Nicolaus de Pawlikow post facta facienda susceptus est ad concilium facultatis.

Item anno eodem in quatuor temporibus post diem Cinerum electi fuerunt examinatores baccalariandorum isti quatuor: mag. Simon de Tyssnow, mag. Wenceslaus de Mirowicz, mag. Alexius de Pekari et mag. Antonius de Luna, qui cum decano praenotato infra scriptos ad gradum baccalariatus admiserunt: Thomas de Bydzzowia, Georgius de Byela, Nicolaus de Paznath, Nicolaus de Plzna. dd.

Sub mag. Simone de Tyssnow in Quadragesima Nicolaus de Paznath ad gradum baccalariatus est promotus.

Item anno eodem per Conradum, pro tunc archiepiscopum et universitatis cancellarium, post festum nativitatis Christi examen magistrandorum non fuit admissum, sed primo in Quadragesima est apertum; et deputati fuerunt pro examinatoribus per dictum cancellarium: mag. Antonius de Luna, qui datus est pro vicecancellario, mag. Thomas de Lyssa, mag. Wenceslaus de Mirowicz, mag. Laurentius de Nimburga, et mag. Alexius de Pekari, qui facto examine infra scriptos ad gradum magisterii veluti idoneos admiserunt: Dominicus de Praga, Petrus de Hradecz-reginae, Briccius de Buda, Joannes de Tyn Horssowiensi, Joannes de Byela. dd.

Item praedicti magistrandi de voluntate cancellarii a mag. Antonio de Luna veluti a vicecancellario acceperunt licentiam in artibus incipiendi.

Sub mag. Simone de Rockyczana die 9. mensis Aprilis Joannes de Byela incepit in artibus, et ad gradum magisterii est promotus.

Sub mag. Antonio de Luna die 21. mensis Aprilis Briccius de Buda, incipiendo in artibus, ad gradum magisterii est promotus.

Item anno eodem die . . . . facultas artium mutuavit universitati decem sexagenas grossorum pro ambasiatoribus universitatis, scilicet dno. Joanne de Chlum, milite strenuo, et mag. Joanne dicto Cardinalis de Reyssteyn, pro propina et honorantia facienda, qui tunc erant in generali concilio Constantiensi procuratores et ambasiatores universitatis constituti ab ipsa universitate.

(*Sequens apocha propria verisimiliter rectoris manu inserta ad pag.* 433. *pertinet.*)

Ego Briccius de Buda, liberalium artium mag. tunc rector universitatis studii Pragensis, fateor, me recepisse in mutuo dimidiam quartam sexagenam grossorum argenteorum Pragensium a facultate artium praedictae universitatis; unde promitto bona fide sine dolo, eandem pecuniam praedictae facultati reddere et solvere plenarie et in toto, si et quum ad fortunam devenero pinguiorem, hic vel alias ubicumque. Scripta manu mea propria. Anno Domini 1415. sub decanatu mag. Joan. de Borotin.

Decanatus mag. Joannis de Borotyn.

Anno Domini 1415. die 21. mensis Aprilis ego Joannes de Borothyn, liberalium artium mag. electus in decanum facultatis artium almae universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum, juravi et promisi eidem officio fideliter praesidere, et promissa a mgris tunc pro electione in stuba facultatis collegii Caroli congregatis recepi secundum statuta ejusdem facultatis manu cujuslibet stipulata.

Eodem die electi sunt dispensatores librorum magistri infra scripti: Laurentius de Nymburka, Wenceslaus de Myrowycz, Stephanus de Broda, Nicolaus de Pawlicow.

Item collectores infra scripti magistri: Procopius de Plzna, Joannes de Przybram dictus Knyez.

Item assessores subscripti magistri: Alexius de Pekari, Petrus de Wrbka.

Sub mag. Petro de Dobrzyechow Thomas de Bidzowia et Nicolaus de Plzna dett. in artibus die 15. mensis Maji.

Mag. Nicolaus de Rzieczicz intravit de novo concilium facultatis et promisit obedientiam decano facultatis secundum formam statuti super hoc editi.

Item eodem anno pro examine ad gradum baccalariatus, quod solet fieri circa quatuor tempora post pentecostis deputati sunt 4 mgri ad decanum per facultatem artium: mag. Petrus de Dobriechow, mag. Borzywogius de Praga, mag. Nicolaus de Rzieczicz, mag. Alexius de Pekari, qui quidem examinatores admiserunt infra scriptos: Joannem de Zilina. d. Martinum de Kalyss.

Sub mag. Joanne de Przibram 23. mensis Maji Georgius de Biela det. in artibus.

Die 6. Junii Matthias de Hnaticz petivit literam recognitionis, et data est sibi juxta statutum.

Item anno eodem die 1. Julii ad petitionem universitatis facultas artium concessit eidem universitati quinque sexagenas grossorum cum tribus grossis pro subsidio rectoris, pro pallio $3\frac{1}{2}$ sexagenas grossorum, pro notario universitatis 45 grossos et residuum pro judice, quas quidem $3\frac{1}{2}$ sexagenas grossorum dns. rector promisit sine dolo solvere facultati, si unquam ad pinguiorem fortunam eum contingeret pervenire, ut in quadem nota de manu sua facta ante in isto folio continetur plenius; petiverat quippe dominus rector universitatem pro subsidio pallii sibi exhibendo, productis

quibusdam causis damni rationabilibus, ex spolio in via sibi occasione rectoratus illatis.

Sabbato in vigilia s. Joan. Baptistae facta convocatione magistrorum pro habendo disputatione de Quolibet conclusum est nullo contradicente, ut mag. Simon de Tyssnow, qui in anno praecedenti electus fuerat ad disputandum de Quolibet, in hac vero convocatione ad electionem praecedentem approbatus requiratur, nomine facultatis per decanum, ut anno Domini 1416. disputet de Quolibet secundum, quod se obligaverat facultati; qui quidem 26. die mensis Septembris ad disputandum de Quolibet se submisit anno Domini 1416.

Martinus de Kaliss petivit dilationem bursae, et in testimonium suae paupertatis recepit mag. Alexium de Pekari et Nicolaum, baccalarium, et data est sibi dilatio juxta statuta.

Die 23. mensis Septembris Dominicus de Praga recepit insignia magistralia sub mag. Wenceslao de Myrowicz.

Die 18. Septembris Martinus de Kaliss det. in artibus sub mag. Alexio de Pekari.

Pro examine ad gradum baccalariatus circa quatuor tempora autumnalia deputati sunt 4 mgri per facultatem ad decanum infra scripti: mag. Thomas de Lissa, mag. Laurentius de Nymburga, mag. Stephanus de Broda, mag. Joannes Knyez de Przibram, et admiserunt infra scriptos secundum hunc ordinem: Joannes Dupowczonis de Praga, Joannes de Hradecz, Joannes de Rockyczano,

Wenceslaus de Drachow, Joannes de Bezdiekow de Bethleem, Wenceslaus de Prachaticz, Philippus de Olomucz, Joannes de Bezdiekow Plznens., Simon de Sacz, Andreas de Normberga, Benedictus de Hradyst, dd.

Dispensatum est cum tribus ex praedictis, cum Joanne de Bezdiekow, cum duobus ultimis libris physicorum, cum Andrea de Normberga cum ultimis libris physicorum, cum Philippo de Olomucz cum tribus ultimis physicorum, ex causis rationabilibus allegatis, sic tamen, ut statim post examen audiant publice libros supra scriptos juxta statuta, si habuerint lectorem, et perficiant auditionem ante determinationem.

In vigilia s. Wenceslai in locatione praedictorum facta est discordia inter examinatores; nam inductione facta per decanum pro uno, duo examinatores dederant ei vocem, duo alteri non, ita quod decanus accedens ad unam partem conclusit pro uno; propter quod duo examinatores non contenti locare residuos noluerunt. Facta igitur convocatione facultatis, an conclusio decani stare deberet, vel moveri, conclusum est nullo contradicente et approbatum, quod hujusmodi conclusio justa esset, et quod deinceps interpretes aequales, cui se parti decanus adjunxerit, illa tamquam major pars habeatur, cum decanus etiam vocem habeat, et secundum illam concludatur.

Die 9. Octobris Simon de Zatecz det. sub Laurentio de Nymburga.

Sub mag. Briccio de Buda Joan. de Zilina det. mense Junii (*sic*).

Decanatus mag. Nicolai de Rzeczicz.

Anno Domini 1415. die ... mensis Octobris ego Nicolaus de Rzeczicz, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum, et promisi ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem fasultatis.

Eodem die electi fuerunt dispensatores librorum mgri infra scripti: mag. Stiborius de Weluar, mag. Alexius de Pekari, mag. Nicolaus de Miliczin, mag. Procopius de Plzna.

Assessores: mag. Joan. de Przibram, mag. Dominicus de Praga.

Sub mag. Joan. de Przibram Joan. Dubowczonis de Praga, Philipus de Olomucz, Benedictus de Hradist determinaverunt.

Sub mag. Christanno de Prachaticz Joan. de Rokyczana, Wenceslaus de Drachow, Joan. de Bezdyecow, Wenceslaus de Prachatiz determinantes gradum baccalariatus acceperunt.

Sub mag. Procopio de Plzna Joan. de Hradecz determinavit.

Sub mag. Joanne de Przibram die 11. mensis Februarii Petrus de Hradecz-reginae incepit in artibus, et ad gradum magisterii est promotus.

Sub mag. Joanne de Byela Joannes de

Bezdyecow Plznensis, et Andreas de Nuremberga determinaverunt.

Sub mag. Simone de Rokycano Joannes de Tyn, licentiatus in artibus, incepit in eisdem, et insignia magistralia recepit.

Item in quatuor temporibus ante nativitatem Christi, examine aperto pro baccalariandis, nullus venit ad intitulandum, et fuit omissum.

Item dns. archiepiscopus Pragensis, cancellarius almae universitatis studii Pragensis, ad petitionem decani supra scripti, et quatuor magistrorum per facultatem deputatorum aperuit examen magistrandorum consuetum fieri post disputationem de Quolibet, quam tenuit et continuavit mag. Simon de Tyssnow etc. dati fuerunt pro tunc examinatores magistrandorum, iste primus, videlicet decanus supra scriptus pro vicecancellario, mag. Przybislaus, mag. Petrus Stiborius de Veluaro, mag. Wenceslaus de Mirowicz, mag. Laurentius de Nymburga, et admiserunt infra scriptos secundum hunc ordinem: Petrus de Mladonowicz, Augustinus de Glatouia, Mathias de Pobyezowicz, Buzko de Gdyna, Mathias de Solio. dd.

Anno Domini, quo supra, in quatuor temporibus post diem Cinerum electi fuerunt examinatores baccalariandorum: mag. Joan. de Rzyst, mag. Gallus de Uteri, Alexius de Pekari, Mathias de Bydzow, qui istos duos admiserunt: Wenceslaus de Praga, Marti-

Sub mag. Briccio de Buda Joan. de Zilina det. mense Junii (*sic*).

Decanatus mag. Nicolai de Rzeczicz.

Anno Domini 1415. die ... mensis Octobris ego Nicolaus de Rzeczicz, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum, et promisi ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Eodem die electi fuerunt dispensatores librorum mgri infra scripti: mag. Stiborius de Weluar, mag. Alexius de Pekari, mag. Nicolaus de Miliczin, mag. Procopius de Plzna.

Assessores: mag. Joan. de Przibram, mag. Dominicus de Praga.

Sub mag. Joan. de Przibram Joan. Dubowczonis de Praga, Philipus de Olomucz, Benedictus de Hradist determinaverunt.

Sub mag. Christanno de Prachaticz Joan. de Rokyczana, Wenceslaus de Drachow, Joan. de Bezdyecow, Wenceslaus de Prachatiz determinantes gradum baccalariatus acceperunt.

Sub mag. Procopio de Plzna Joan. de Hradecz determinavit.

Sub mag. Joanne de Przibram die 11. mensis Februarii Petrus de Hradecz-reginae incepit in artibus, et ad gradum magisterii est promotus.

Sub mag. Joanne de Byela Joannes de

artium universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum; juravi et promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum cursum statutorum ejusdem facultatis.

Item eodem die electi fuerunt dispensatores librorum magistri infra scripti: Joan. de Borotin, Petrus de Sepekow, Nicolaus de Rzieczicz, Martinus de Wolyna.

Item assessores infra scripti mgri: Mathias de Bidzow, et Laurentius de Nymburga.

Item collectores isti mgri: Gallus de Vtery, Joan. de Biela.

Item 22. die mensis Aprilis Busko de Gdyna, licentiatus in artibus, promotus ad gradum magisterii incepit in eisdem sub mag. Martino de Wolyna, et gradum magisterii tunc suscepit.

Item Mathias de Pobiezowicz, licentiatus in artibus, gradum magisterii est adeptus sub mag. Nicolao de Miliczin 4. die mensis Maji.

Item anno, ut supra, die 4. mensis Maji facta plena congregatione magistrorum facultatis artium Paulus de Crawar, universitatis Parisiensis magister, et baccalarius medicinae universitatis Montis Pessulani, susceptus est ad gremium mgrorum dictae facultatis studii Pragensis post determinatam quaestionem sub mag. Procopio de Plzna, et ad alia facienda juxta statuta dictae facultatis liberrime se submisit, et sufficienter docuit, se esse magistrum studii universitatis Parisiensis, et similiter baccalarium in medicinis studii universitatis Montis Pessu

lani, et adeo secundum gradus processisse secundum ritum et consuetudinem dictarum universitatum, exhibuitque literas authenticas cum sigillis pendentibus circa praemissa.

Item dedit 40 grossos pro bursa consueta.

Item anno, quo supra, die 21. mensis Junii facta plena congregatione magistrorum sub hoc tenore: Reverende magister! sitis hodie hora 16. in stuba facultatis ad eligendum quodlibetarium, seu de Quolibet in facultate artium disputaturum. Ex unanimi et concordi voce pene omnium magistrorum tunc praesentium electus *est venerabilis* mag. Procopius de Cladrub ad praemissum laborem pro bono universitatis assumendum.

Item anno, quo supra, in quatuor temporibus ante festum s. Wenceslai pro examinatoribus baccalariandorum a facultate fuerunt electi infra scripti, et decano adjuncti, scil. mag. Nicolaus de Milyczin, mag. Mathias de Bidzow, mag. Petrus de Sepekow, mag. Joan. de Przibram, qui ad gradum baccalariatus admiserunt infra scriptos: Wenceslaus de Zatecz, Joan. Baptista de Budyna, Mathias de Gehniedno, Petrus de Vgezd, Nicolaus de Calmanczech. dd. Ulricus de Znoyma.

Sub mag. Simone de Rokyczana Wenceslaus de Zatecz est gradum baccalariatus assecutus feria 4. post festum s. Francisci anno Domini 1416.

Item Joannes Baptista de Budyna det. ad gradum baccalariatus sub mag. Joanne de Przibram anno, quo supra.

Item Mathias de Gehniedno et Nicolaus de Calmanczіech receperunt gradum baccalariatus sub mag. Nicolao de Milyczin feria secunda post Francisci, anno, ut supra.

Item Ulricus de Znoyma recepit gradum baccalariatus dominico die in festo scilicet ss. Cosmae et Damiani sub mag. Mathia de Pobiezowicz.

In decanatu mag. Nicolai de Pawlikow.

Anno Domini 1416. die 10. mensis Octobris electus fuit in decanum facultatis artium mag. Martinus Cunssonis de Praga, qui postea die 15. ejusdem mensis in congregatione magistrorum ejusdem facultatis ex causis quibusdam ab officio decanatus se absolvi petivit et postulavit; et cum absolveretur, tunc in eadem congregatione anno et die, quibus supra, ego Nicolaus de Pawlikow, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum, et jurando promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Item anno, quo supra, die autem 17. mensis Octobris electi fuerunt collectores: mag. Procopius de Plzna et mag. Simon de Rokyczano.

Assessores vero: mag. Wenceslaus de Myrowicz et mag. Joan. de Przibram; demum electi fuerunt dispensatores quatuor: mag. Cztiborius de Veluaro, mag. Alexius de Pekkari, mag. Dominicus et mag. Petrus de Grecz.

Item anno eodem, sabbato in quatuor temporibus post Luciae apertum fuit examen pro gradu bacealariatus, et quia solum venerat unus, ideo examen dimissum est pro illa vice.

Item anno eodem, die 15. mensis Januarii feci congregationem facultatis, in qua congregatione deputati sunt mihi quatuor mgri et adjuncti, ad visitandum mecum vicecancellarium, et ad hortandum pro apertura examinis magistrandorum, et quatenus juxta tenorem bullae datae in erectione universitatis non alios, nisi actu regentes mgros de facultate artium eligat atque locet in examinatores magistrandorum; quem cum visitassem cum mgris mihi adjunotis quatuor, scilicet: mag. Przibislao de Jessénicz, mag. Joanne Rrzysst, mag. Thoma de Lyssa et mag. Nicolao de Stoyczin, respondit, quod magistrorum adhortationem de apertura examinis magistrandorum vellet prius insinuare dno. archiepiscopo, cancellario nostrae universitatis, et deinde respondere facultati. Postea, die 20. mensis ejusdem, respondit se habere a dno. archiepiscopo in mandatis, quod nullo modo examen magistrandorum aperiat, nisi de speciali domini voluntate et consensu; quod cum retulissem facultati, ex consensu facultatis pro apertura examinis magistrandorum ad ipsummet dom. archiepiscopum laboravi nuntium cum litera facultatis et cum secreto dni. regis ad ipsum in Rudnicz super praemissis dirigendo, qui per nuntium verbotenus respondit, quod ipsum magistrandorum exa-

men nollet pro illa vice aperire; causas vero hujus rei, quod ipse per se vellet dno. regi exponere et revelare; unde tempore mei decanatus non fuit examen magistrandorum.

Item anno eodem, in mense Februario, sabbato die post Scholasticae mag. Petrus Payne Oxoniensis universitatis magister, postquam expedivisset actus suos juxta statuta facultatis, videlicet, quaestionem sub mag. Christanno tunc per facultatem sibi deputato determinando, et mgris tunc praesentibus respondendo, et alios actus, quos juxta statuta nostrae facultatis explere item debuerat, adimplendo; docuissetque testibus fide dignis sufficienter, se esse mgrum studii universitatis Oxoniensis, assumtus est in gremium et consortium mgrorum nostrae universitatis secundum statuta. Idem mag. Petrus dedit 36 grossos pro bursa.

Item Augustinus de Glatowia, licentiatus in artibus, gradum magisterii est adeptus sub mag. Zdislao de Zwierzeticz.

Item sabbato in quatuor temporibus in Quadragesima apertum fuit examen baccalariandorum in artibus, et quia nullus venerat, ideo dimissum erat examen.

Item in dominica Reminiscere mag. Joan. de Zluticz, cum secundum statuta promisisset obedientiam facultati, assumtus est in concilium facultatis.

Decanatus mag. Laurentii de Nimburga.

Anno Domini 1417. die 17. mensis Aprilis ego Laurentius de Nimburga, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium almae universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum; juravi et promisi, ac promissa tunc a magistris praesentibus suscepi juxta statuta ejusdem facultatis.

Item eodem die reelecti sunt in collectores: mag. Procopius de Plzna et Simon de Rokiczana.

Item in assessores mgri: Wenceslaus de Myrowycz et Joannes de Przybram.

Item in dispensatores mgri: Stiborius de Velwaro, Alexius de Pekari, Dominicus de Praga et Petrus de Grecz-reginae.

Item anno eodem 4. feria post pentecosten apertum fuit examen pro gradu baccalariatus in artibus; sed quia nullus comparuit, pro hac vice omissum est.

Item anno eodem sabbato proximo ante festum s. Joannis Baptistae facta congregatione mgrorum sub hac forma: Mag. reverende! sitis hodie hora 17. in stuba facultatis ad eligendum, si fieri debet, disputaturum de Quolibet in artibus sub poena non contradicendi; unanimiter atque concorditer electus est reverendus mag. Joan. de Rzysst ad disputandum de Quolibet in artibus juxta statuta.

Item anno eodem, quatuor temporibus ante

festum s. Wenceslai per facultatem electi et deputati sunt pro examine baccalariandorum ad decanum quatuor mgri: Alexius de Pekary, Wenceslaus de Mirowicz, Petrus de Sepecow et Dominicus de Praga, et admiserunt istos secundum hunc ordinem: Michael de Thordas, Florianus de Straconicz, Martinus de Giranowicz. dd.

Item anno eodem, die 27. mensis Septembris Florian. de Straconicz, et Martinus de Giranowycz dett. sub mag. Martino de Wolina.

Item eodem anno tertia die mensis Octobris Michael de Thordas det. sub mag. Laurentio de Nimburga.

Decanatus mag. Wenceslai Myrowecz.

Anno Domini 1417. sabbato in festo Dionysii, et fuit dies 9. mensis Octobris, ego Wenceslaus Myrowecz, liberalium artium mag. almae universitatis studii Pragensis, electus fui in decanum facultatis artium; promisi ac promissa a mgris tunc praesentibus suscepi secundum formam statutorum ejusdem facultatis desuper confectorum.

Item eodem anno, mense, die, quibus supra, electi fuerunt in collectores pecuniarum facultatis: mag. Symon de Tyssnow, mag. Petrus de Sepekow.

Item eodem tempore, quo supra, electi sunt assessores pro audiendo computo facultatis mgri: Mathias de Bydzowya, Laurentius de Nymburga.

Item similiter eodem tempore electi fuerunt librorum et tractatuum dispensatores quatuor mgri: Alexius de Pekari, Joan. de Werona, Joannes de Biela, Buzko de Kdyna.

Item anno Domini, ut supra, electi sunt examinatores baccalariandorum undecima die mensis Decembris quatuor mgri: Nicolaus de Stoyczyn, pro tunc praepositus collegii Caroli, Simon de Rokyczana, Joan. de Borotyn, Petrus Payne, qui cum decano infra scriptos hoc ordine admiserunt: Sezema de Skryg, Procopius de Genecz, Nicolaus de Mothessicz, dd.

Item anno Domini 1418. examen magistrandorum solitum fieri post epiphaniam Domini per dominum cancellarium universitatis fuit impeditum, quamvis pro ipsius apertione magistri diligenter institissent.

Anno, ut supra, penultima die mensis Decembris mag. Joannes de Przybram receptus est ad concilium facultatis.

Item 18. die mensis Januarii mag. Nicolaus de Dessna assumtus est ad facultatem.

Item Sezema de Skryg 20. die mensis Januarii det. sub mag. Christano de Prachatycz.

Die 25. mensis Januarii Procopius de Genecz det. sub mag. Joanne de Przibram.

Et idem Procopius sabbato ante festum Dorotheae 5. die mensis Februarii obtinuit dispensationem portandi tabardum cum serico a facultate.

Item anno Domini, ut supra, 12. die mensis Februarii apertum fuit examen pro baccalariandis; sed aperto examine nullus examinandus comparuit, unde examen fuit omissum pro hac vice.

Item 9. die mensis Aprilis facultas dispensavit de biennio cum Nicolao de Czech et Michaele de Thordas; hoc tamen adjecto, quod praedictus Michael componat cum mag. Nicolao de Pawlikow de solutione pastus a tempore dispensationis usque festum s. Wenceslai.

Decanatus mag. Antonii de Luna.

Anno Domini 1418. die 16. mensis Aprilis ego Antonius de Luna, mag. in artibus, et baccalarius medicinae, electus fui in decanum facultatis artium almae universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum; et promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum cursum statutorum ejusdem facultatis.

Eodem die electi fuerunt collectores: mag. Nicolaus de Pawlikow et mag. Alexius de Pekari.

Item assessores mgri infra scripti: Nicolaus de Dessna, Augustinus de Glatowia.

Item dispensatores librorum mgri subscripti: Simon de Rokiczana, Dominicus de Praga, Petrus de Hradecz, Mathias de Pobiezowicz.

Anno Domini, quo supra, feria 4. post pentecostis apertum fuit examen baccalariandorum; sed quia nullus comparuit, ideo examen fuit omissum.

Item anno, quo supra, die 17. mensis Septembris electi fuerunt examinatores baccalariandorum mgri: Procopius de Plzna, Alexius de Pekary, Petrus de Sepecow, Joannes de Biela et admiserunt infra scriptos: Paulus de Gyrzyczie, (*infra Gyrziczie*) Clemens de Rudnicz, Jacobus de Salenkamen, Joan. de Hermanni-civitate, Petrus de Hradisch. dd.

Sub mag. Petro de Sepekow Nicolaus de Motessicz gradum baccalariatus suscepit.

Decanatus mag. Petri de Sepekow.

Anno Domini 1418. die 8. mensis Octobris ego Petrus de Sepekow, mag. in artibus, fui electus in decanum facultatis artium studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum, me absente; electione autem in eodem die insinuata, ipsam suscepi ante solis occasum juxta statuta; et 10. die mensis Octobris convocatione facultatis artium facta juravi et promisi, ac promissa tunc a mgris praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Item die, quo supra, electi fuerunt dispensatores librorum mgri infra scripti: mag. Stephanus de Broda Boemicali, mag. Nicolaus de Pawlykow, mag. Joannes de Biela, mag. Buzko de Gdyna.

Item assessores: mag. Nicolaus de Miliczin, mag. Antonius de Luna.

Item collectores: mag. Stiborius de Weluaro, ıag. Nicolaus de Stoyczin.

Sub mag. Petro de Sepekow 20. die mensis)ctobris Joannes de Hermanni-civitate gradum accalariatus suscepit.

Sub mag. Christanno de Prachaticz 24. die ıensis Octobris Clemens de Rudnicz gradum bacılariatus suscepit.

Sub mag. Petro de Sepekow 26. die mensis 'ctobris Jacobus de Salenkamen gradum baccalaatus est adeptus.

Sub mag. Petro de Grecz-reginae 1. die mens Decembris Petrus de Grecz-reginae gradum ıccalariatus suscepit.

Sub mag. Joanne de Biela Paulus de Gyrzicze l. die mensis Februarii gradum baccalariatus scepit.

Anno, quo supra, disputatio de Quolibet ex ınclusione universitatis convocatae fuit ex quibusam causis in illo anno omissa.

Item anno, quo supra, Conrado natione Theunico et, ut dicitur, de Bestwalia oriundo, archiescopo Pragensi et cancellario universitatis studii :agensis existente, una dierum ante Christi natitatem universitate sub poena praestiti juramenti :r decanum convocata tractatum fuit de apertione aminis magistrandorum, quod jam tribus annis aeteritis non fuerat admissum. Tandem fuerunt :putati et adjuncti decano mgri infra scripti: ıg. Stiborius de Weluaro, mag. Gallus de Vteri,

mag. Nicolaus de Stoyczin, qui curam gerentes etiam cum aliis plurimis viris notabilibus apertionem examinis minime valuerunt obtinere, et sic etiam illo anno, jam quarto scilicet, non est apertum examen magistrandorum.

Item anno eodem in quatuor temporibus post diem Cinerum aperto examine pro baccalariandis electi fuerunt examinatores baccalariandorum quatuor mgri infra scripti: Stiborius de Welnaro, Joannes de Werona, Simon de Rokyczana, Mathias de Pobiezowicz, qui cum decano praedicto infra scriptos admiserunt ad gradum baccalariatus: Borzko de Nova-villa, Stephanus de Roycza. *dd.*

Item die secunda mensis *Martii* mag. Joannes de Biela post facta facienda juxta statutum susceptus est ad concilium facultatis.

Decanatus mag. Borziwogii de Praga.

Anno Domini 1419. die 12. mensis Aprilis ego Borziwogius dictus Borzek de Praga, mag. in artibus, fui in decanum facultatis artium electus universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum; et promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Item eodem die electi fuerunt in collectores: mag. Laurentius de Nimburga et mag. Antonius de Luna.

Item in assessores mgri: mag. Alexius et Stiborius de Welwar.

Item in dispensatores mgri: Petrus de Hradecz, reginae, Joan. Rzist, Wenceslaus de Rennburga, Augustinus de Glathowia.

Mag. Sobieslaus de Koznow intravit de novo concilium facultatis, et promisit obedientiam decano facultatis secundum formam statuti super hoc editi.

Item eodem anno, quo supra, Petrus de Hradisst, de novo baccalariandus, obtinuit sibi absentiam bienni a facultate artium.

Anno Domini, quo supra, feria 4. post pentecostis apertum fuit examen baccalariaudorum; sed quia nullus comparuit, ideo examen fuit pro illa vice omissum.

Item anno eodem, quo supra, proxima vigilia ante festum s. Joannis Baptistae facta convocatione mgrorum sub hac forma: Magister reverende! sitis hodie hora 17. in stuba facultatis, ad eligendum disputaturum de Quolibet in artibus, vel ad reeligendum prius electum, sub poena non contradicendi; ibidem conclusum est per mag. Borziwogium, natione Pragensem, dictum Borzek, pro tunc decanum facultatis artium, secundum pluralitatem vocum, quod isto anno medio nullus eligatur de novo; sed si debet fieri, disputandum de Quolibet proximo futuro anno, tunc mag. Joan. Rzist petatur ante duos menses, ut disputet de Quolibet; et si pro futuro proxime venturo anno non disputabit, amodo non

reeligatur ad ulterius disputandum de Quolibet. Haec facta est conclusio facultatis tempore et loco, quibus supra.

Item anno, quo supra, proximis quatuor temporibus ante festum Wenceslai omissum est examen baccalariandorum ex certis et rationabilibus causis.

mag. Nicolaus de Stoyczin, qui caram gerentes etiam cum aliis plurimis viris notabilibus apertionem examinis minime valuerunt obtinere, et sic etiam illo anno, jam quarto scilicet, non est apertum examen magistrandorum.

Item anno eodem in quatuor temporibus post diem Cinerum aperto examine pro baccalariandis electi fuerunt examinatores baccalariandorum quatuor mgri infra scripti: Stiborius de Weluaro, Joannes de Werona, Simon de Rokyczana, Mathias de Pobiezowicz, qui cum decano praedicto infra scriptos admiserunt ad gradum baccalariatus: Borzko de Nova-villa, Stephanus de Roycza. *dd.*

Item die secunda mensis Martii mag. Joannes de Biela post facta facienda juxta statutum susceptus est ad concilium facultatis.

Decanatus mag. Borziwogii de Praga.

Anno Domini 1419. die 12. mensis Aprilis ego Borziwogius dictus Borzek de Praga, mag. in artibus, fui in decanum facultatis artium electus universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum; et promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Item eodem die electi fuerunt in collectores: mag. Laurentius de Nimburga et mag. Antonius de Luna.

Item in assessores mgri: mag. Alexius et Stiborius de Welwar.

Item in dispensatores mgri: Petrus de Hradecz, reginae, Joan. Rzist, Wenceslaus de Rennburga, Augustinus de Glathowia.

Mag. Sobieslaus de Koznow intravit de novo concilium facultatis, et promisit obedientiam decano facultatis secundum formam statuti super hoc editi.

Item eodem anno, quo supra, Petrus de Hradisst, de novo baccalariandus, obtinuit sibi absentiam bienni a facultate artium.

Anno Domini, quo supra, feria 4. post pentecostis apertum fuit examen baccalariaudorum; sed quia nullus comparuit, ideo examen fuit pro illa vice omissum.

Item anno eodem, quo supra, proxima vigilia ante festum s. Joannis Baptistae facta convocatione mgrorum sub hac forma: Magister reverende! sitis hodie hora 17. in stuba facultatis, ad eligendum disputaturum de Quolibet in artibus, vel ad reeligendum prius electum, sub poena non contradicendi; ibidem conclusum est per mag. Borziwogium, natione Pragensem, dictum Borzek, pro tunc decanum facultatis artium, secundum pluralitatem vocum, quod isto anno medio nullus eligatur de novo; sed si debet fieri, disputandum de Quolibet proximo futuro anno, tunc mag. Joan. Rzist petatur ante duos menses, ut disputet de Quolibet; et si pro futuro proxime venturo anno non disputabit, amodo non

reeligatur ad ulterius disputandum de Quolibet. Haec facta est conclusio facultatis tempore et loco, quibus supra.

Item anno, quo supra, proximis quatuor temporibus ante festum Wenceslai omissum est examen baccalariandorum ex certis et rationabilibus causis.

3 2044 017 983 33